
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [1] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [2] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [3] - -

[Varia rhetorica et logica]

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [4] - -

MEMORIÆ ARTIFICIOSÆ CONCENTRATÆ DECALOGUS SIVE

Decem duntaxat Loca omni Memoriæ in omni ſcibili ſatisfacientia propoſita.

PER

ERNESTUM HERSELER D.

COLONIÆ AGRIPPINÆ
Sumptibus Authoris, & Typis Petri Theodori Hilden.
Anno M.DC. XCIX.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42:Leibn. Marg. 42, Stück 11, [5] - -

APPROBATIO.

TRactatus, cui Titulus est Memoriæ artificiosæ Concentratæ Decalogus Authore Ernesto Herseler Doct. qui prævia diligenti perlustratione nihil contra fidem aut bonos mores continere dignoscitur, in publicum edi licitè poterit; Signatum Coloniæ die 30. Martii 1699.

JOANNES WERNERUS DE VEYDER
Coadministrator in Spiritualibus & Vicarius
Generalis Colonienſis.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42:Leibn. Marg. 42, Stück 11, [6] - -

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO
JOANNI
WILHELMO
COMITI PALATINO RHENI,
SAC. ROMANI IMPERII
ARCHITHESAURARIO
ET
ELECTORI
BAVARIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC MONTIUM
DUCI,
COMITI *VELDENTIAE, SPONHEMII, MARCHIAE,*
RAVENSBURGI, MOERSÆ AC MEGÆ, &c.
DYNASTÆ *IN RAVENSTEIN &c.*
PRINCIPI
AC
DOMINO
SUO CLEMENTISSIMO.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42:Leibn. Marg. 42, Stück 11, [7] - -

SERENISSIME ATQUE POTENTISSIME PRINCEPS ET DOMINE,

Domine Clementiſſime.

SI in invictisſimo Imperatore noſtro LEOPOLDO Pietatem & Clementiam, in Chriſtianiſſimo Galliarum Rege LUDOVICO XIV tam ſagatæ quàm togatæ militiæ ardorem, in Electore Saxoniæ nunc Sarmatiæ Rege FRIDERICO AUGUSTO Robur Dextræ univerſus obſtupeſcit orbis: demiranda profectò in Sacri Romani Imperii ARCHITHESAURARIO, ELECTORALI videlicet SERENITATE VESTRA PALATINA, præter florentiſſimam aliarum dotium Principalium Univerſitatem, non ſolum Reſponſorum & Expreſſionum facunda ſoliditas, verum etiam FELICISSIMA ac PENITUS DIVINA MEMORIA; Veritatis hujus ſe teſtes ſiſtunt omnes & ſinguli SERENITATIS VESTRÆ Proceres Status & Dicaſteria, illàmque maximorum Regum & Principum Legati, quotquot Horum AD EANDEM in negotiis maximè arduis ſœpius miſſos, & ad alloquium SERENITATIS VESTRÆ ELECTORALIS admiſſos ſe fuiſſe ſibi non immeritò gratulantur, gràviſſimâ edocti experientiâ adextremas mundi oras concordibus animis pertulerunt, unoque ore prædicarunt: quam ipſam fama jam publica ubique reſonat & magnarum rerum haud immemor ſemper venerabitur Poſteritas. Nul-

Nullum igitur firmius & majus in recommendationem Memoriæ apponere potero argumentum, quam SERENISSIMUM TUTELARE NOMEN SUBLIMITATIS VESTRÆ ELECTORALIS, tot meritis ac virtutibus in Romano Imperio & exteris etiam gentibus famosum & venerabile: nec ipsa Memoria vicissim super suis proprietatibus mirificis in hoc meo opusculo descriptis ad decorem proprium alteri quam ELECTORALI SERENITATI VESTRÆ Homagiũ subjectionis præstare audebit.

Si etenim hæc ipsa Memoria est Psalterium DECEM Chordarum *Psal.* 32. ANNULO, CANDELA, CYGNO, TRIANGULO, QUADRANTE, MANU, STELLA, SECURI, CALICE & CORNU Harmoniam perpetuæ gloriæ SERENITATI VESTRÆ ELECTORALI debitam resonabit.

Si est Arbor procera *juxta Scottum* ad DECEM pedes ima petens: ad duo illa Providentiæ & Industriæ lumina ELECTORALIS SERENITATIS VESTRÆ, quæque firmioris gubernationis intima maturo consilio & ratione perspicientia in profundum submissionis radices aget.

Si est Carthago ab ora maritima DECEM milliaribus reædificanda *Flor.* sua Castra, palatia ac parietes THRONO POTESTATIS PALATINÆ protegenda submittet.

Si est Horologium Achaz DECEM lineis vitam prorogans 4. *Reg.* 20. GLORIOSISSIMUM longævi Regiminis OMEN SERENITATI VESTRÆ signabit.

Si Memoria est Basilica à Salomone DECEM aureis candelabris illustrata 2. *paral.* 4. SERENITATIS VESTRÆ AUGVSTO NOMINI in æternitatis templo coruscabit.

Si est Respublica post Romulum primitus à DECEM viris administrata *Liv. lib.* 1. saluberrimas sanctiones & ordinationes ab ELECTORALI SERENITATE VESTRA indefessâ ac verè patriâ sollicitudine conditas & in omnibus SVIS Ditionibus ad communem populi salutem feliciter fixas procumbens suscipiet.

Si Memoria est parnassus NOVEM Musis & DECIMO Apollini inhabitatus; inter lauros LEOPOLDI I. & summorum Ro-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42:Leibn. Marg. 42, Stück 11, [9] - -

mani Imperii nunc NOVEM VIRORVM ELECTORALIS SERENITATIS VESTRÆ INTEGRITATI pro tranquillitate Heliconis germanici eminenter excubanti insolidum mancipabitur.

Si est solenne vesperarum Canticum DECEM versibus concluſum : in SERENITATE VESTRA heroicam MAXIMI ELECTORIS Mentem triumphali acclamatione magnificabit.

Si est grex ex DECEM ovibus constitutus *L. fin ff. de abig.* sese SERENITATI VESTRÆ ELECTORALI pro quã plurimis gratiis fratri meo EJVSDEM Aulico Consiliario & Regalis Venatorio-foreſtalis in Ducatu Montium Commissario ordinario, mihique ex oris Sileſiæ per clementiſſimam Præsentationem huc vocato benigniſſimè exhibitis quotidie per piorum preces sacrificiorum in monumentum gratitudinis immolabit.

Si Memoria denique est Peculii DECIMATIO à priscis Florentinis Deo Herculi data: tota quanta Imperiali Archithesauratiatui SERENITATIS VESTRÆ ELECTORALIS dicata manebit.

O Fuerit ANNVLVS JCtis veteribus singularis ornatus *l. 15. §. orn. ff. de aur. & arg. leg.* fuerit quoque insigne Dignitatis Equeſtris *Plin.* ELECTORALIS SERENITAS VESTRA in proprio præstantiſſimæ Memoriæ SVÆ Annulo, ut incomparabilis inter Europæ Principes GEMMA non sine aliis virtutibus auguſtioribus splendore locupletiſſimo scintillare, mirificè dignoscitur.

1. Lacones nunquam noctu prævio LVMINE incedebant *Alex.* Memoria SERENITATIS VESTRÆ ELECTORALIS sublimium gestorum perenni Hostibusque formidabili GLORIÆ in Heroum fastigio candelam inextinguibilem accendit.

2. Ægyptiis atror corvi noctem & candor CYGNI diem denotabat, ex Cygno capiebat Æneas vaticinium *lib. 1. Æneid.* est quoque in cœlo constellatio cygni conspicua. Memoriæ Cygnus AD SERENITATIS VESTRÆ ARAM JUSTITIÆ pietate & æquitate suffultam fauſtiſſimis auguriis convolans, ejusdem PRINCIPALI CANDORI se sacrificat.

3. Do-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [10] - -

3. Donum Nili ſeu delta aut TRIANGULUS Ægyptus inferior dicitur, trianguli aſteriſmus cœlo inſertus radiat, omne bonum TER fœlix prædicatur : Memoria SERENITATEM VESTRAM ELECTORALEM in conſiliis Imperii SALOMONEM, AVGVSTVM in curis patriæ, & in benignitate erga ſingulos TRAJANVM, TER FELICEM nuncupat & ſalutat PRINCIPEM.

4. Ariſtoteles viris conſtantiâ præditis cubum aſſignat, eſt & QVADRANS mathematicus cœli ſcala. Memoria ex conſtante & avito SERENITATIS VESTRÆ in religione orthodoxâ Zelo, ſcalam converſionis ſubditis palatinatus tandem porrigendam ſummâ veneratione vaticinatur.

5. Pignus pacis vocatur dextra MANVS, ei ineſt Majeſtas *juxta Perſium* : Memoria MAJESTATEM POTENTISSIMÆ DOMVS PALATINÆ, nunc in ſalutari DEXTRA SERENITATIS VESTRÆ, non ſine dulciſſimâ ſubditorum quiete fulgentem, ſubmiſſiſſimè adorat.

6. STELLÆ *apud theſaurum* ſunt cœli flores, flores autem terræ aſtra, Abrahæ Deus innumerabilem ſuorum progeniem promiſit, numera ſtellas, ſi potes *gen.* 15. Memoria floridam IN SANGVINE ELECTORALI PALATINO poſteritatis ſtellam adhuc orituram & nunquam eclipſandam humillimè vovet.

7. Romulus urbis in Monte Palatino primus conditor duodecim virgarum faſces ex betulâ arbore cum SECVRIBVS pro inſigni Regio & ſupremæ poteſtatis ſymbolo elegit: Memoria faſces EX SERENISSIMA ET INCLYTISSIMA DOMO PALATINA CÆSAREOS, REGIOS, ELECTORALES ET DVCALES ad terrorem hoſtium in firmiſſimum S. Romani Imperii communis Patriæ præſidium creſcentes ſupplex veneratur.

8. CALIX ſeu crater inter cœli aſteriſmos non poſtremus eſt, calix in ſacris etiam adhibetur: Memoria eminentiſſimas Dignitates Eccleſiaſticas ELECTORALI DOMVI PALATINÆ digniſſimè accedentes profundiſſimè reveretur.

9 Plau-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42:Leibn. Marg. 42, Stück 11, [11] - -

Dedicatio.

9. Plauſum triumphalem in annalibus Romanis CORNV nuntiat, in ſacris grandem inimicorum quaſſationem & jubilæum : Memoria mecum omnem voti conatum eò intendit, ut ELECTORALIS SERENITAS VESTRA in hac SVA virium & ſanitatis proſperâ venuſtate ac præcelſiſſimâ famoſiſſimi genii ſui ad quæcunque rara, egregia & grandia propenſi gravitate, conſiliorum verò Animique magnificâ fortitudine perpetuò invicta hoſtibuſque terribilis annuente DEO in ſeram ſenectutem perennet incolumis, tandemque cum beatiſſimo populari jubilo IN SVAVISSIMA ELECTORALI PROGENIE vigeat & vireat indelebilis ac immortalis.

Hiſce omnibus Memoriæ venerationibus ac votis fideliſſimè adhæret, ſe ſuoſque ſub clypeo clementiſſimæ protectionis devotiſſimè ſubmittens

ELECTORALIS SERENITATIS VESTRÆ PALATINÆ

Humillimus & ſubjectiſſimus
Famulus

ERNESTUS HERSELER D.
Prot. Apoſt. & paſtor in Wanla.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [12] - -

AD LECTOREM.

QUi à seipsis, non à voce Magistra, scientias, vel artes discunt contra consilium D. Hieronymi veniunt. C. 16. q. 1. can. 27. ne ipse te doceas, & absque Doctore ingrediaris viam, quam nunquam ingressus es: hinc Cardanus inter sua sex, quæ maxima ipsi detrimenta attulerunt, carentiam pædagogi connumerat, è contra Cujacius in græcis latinisque politioribus literis seipsum erudivit: Muretus nullo Magistro usus est: Divus Bernardus fagos Doctores habuit: & S. Augustinus Aristotelem solus legit & intellexit. Si liceat aurea æreis, centena novenariis comparare. Constit. de rat. & meth. jur. doc. in arte Memoriæ idem nonnullis, sicut & nobis contigit.

Cum enim in Lamberti Schenkelii ex Brabantia Dusylvii memoriam Longe pulcherrimam anno 1595. editam incidissem, eamque occupare & meam facere intendissem, absque duplicis oppositi muri perruptione omnem adeptionis conatum irritum cognovi: nam primo Lectio ignotorum vocabulorum hybernis nivibus frequentiorum, quæ more hebraico retrorsum, ubi Alpha & Omega sunt otiosa leguntur, erat devoranda: deinde altiorum sensus mœnium arietatio fuerat aggredienda: artem enim scire non est verba artis scire, sed vim & potestatem.

Evolvi igitur Petrum Ravennatem qui 1491. Gratarolum qui 1554. Jordanum Brunum qui 1582. Gesvaldum qui 1598. Paep Galbaicum qui 1618. scripsit, & Lambertinorum vocabulorum non vero sensus interpres fuit: aliosque hujus sæculi obscuriores. Hi tamen cuncti grandia sonantes, & steriles avenas pro ampla artis messe ostentantes, plus promiserunt quam præstiterunt, esurientes non impleverunt bonis, & adhuc in limo veterem ranæ cecinere querelam.

Rationem parcioris hujus doctrinæ, alii in avaritia ut soli lucrum trahere & monopolio gaudere possent: alii in arrogantia, ut tanquam artis

Monar-

Monarchæ soli sapere viderentur: nonnulli in verecundia, ne fastus illorum ob humilia artis elementa illuderetur. Non pauci in ignorantiæ hypocritica quam vellent contegere, collocatam putabant: nos mitius agendo, eam in honestate, ut artificium rarius ideoque carius redderetur, positam arbitramur. Argum. c. 27. q. 2. can. 39. Ne artem vilem reputet informatus statim traditam, quam non suspiraverat informandus dilatam.

Enixa igitur applicatione, Lambertum totum, quod ipsemet impossibile statuit, subegi: imo plurima abstrusissima addidi Lamberto prorsus incognita: quæ patebunt, si quis nostra cum suis contulerit: plures enim plura vident, quæ non videt omnia solus: & bono melius invenitur: non enim omnes in omnia, sed certi per certa meliores vel deteriores reperiuntur: nec erubescat antiquitas, si quid melius horum, quæ ipsa tradidit novitas adinvenit.

Quia vero apud Senecam turpe est, ut quid egregium jaceat in obscuro; sapientia enim abscondita & thesaurus non visus quæ utilitas in utrisque. Eccles. 41. Dividas aquas tuas in plateis ut deriventur fontes tui foras. Prov. 11. Hinc laborem præsentem, artificii hujus cupidissimis exhibeo, nullus tamen autumet, artem propterea plene exhaustam esse: nam omne artificium per exercitium recipit incrementum: & paulatim ad melius per eruditionem acceditur: nos ipsi quoque speramus, fore, ut post aliqua temporum curricula, nova annectere queamus satis admiranda.

Pollicemur etiam Cœlestis Philosophiæ partem practicam illam, qua stellarum influxus in homine efficacissimos non ex veterum vana traditione, sed methodo nova longe alia, ex propria mea viginti annorum observatione demonstrat, opus in incomparabili Mathematico & Astrosopho Placido de Titis Monacho Italo, Ord. S. Benedicti quodammodo fundatum, multo verioribus tamen experimentis & rationibus insistens, & quod caput rei est, S. Canonum & S. Concilii Trid. Decretis, censura Theologica & Philosophica satisfaciens.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42:Leibn. Marg. 42, Stück 11, [14] - 2

DE MEMORIA °.

AB Anatomicis duplo majus in Homine quam in maximis animalibus, proportionatum reperitur Cerebrum: hoc intra Calvariæ quæ capitis nomen retinet, capacitatem residens appellatur sensuum principium, totius corporis Princeps, à Platone divinum membrum, à Democrito mentis custodia, ab Homero Cœlum quia motum & cognitionis lumen, in alias partes influit. In eo suum fixit domicilium memoria; quæ apud Thomistas est facultas conservativa præteritorum: apud Cartesianos quasi Charta acu perforata, perquam species illabi & elabi, vel si foraminula obstruantur nihil depromi aut relegi possit eorum, quæ à prioribus sensibus percepta fuerunt. Apud alios possessio eorum quæ mens percipit. Apud Ciceronem Thesaurus & sinus animi: apud Causinum horreum mentis: apud Jordanum Brunum internus liber: apud Balsac. *le Cabinet de belles Choses*; apud Græcos mater sapientiæ; apud Plinium necessarium maximè vitæ bonum; apud Senecam res ex omnibus animi partibus maximè delicata.

De hac meminit Isidorus, Anima dum vivificat, anima est, dum vult animus est, dum scit mens est, dum recolit memoria est. Et glossa cap. 1. de summ. Trin. intellectus præconcipit, ratio disponit, memoria præconcepta & disposita conservat.

An autem memoria in occipite sextertio cerebri vocato ventriculo, quem etiam puppim nominant, vel in glandula pineali, vel in cerebri locustis nervosis, quæ à spiritibus aperiuntur & clauduntur, vel in toto interno cerebro habitet, apud Medicos reperitur controversum.

Memoria alia est naturalis, alia artificialis.

Naturalis cuilibet homini congenita viget. de hac ait Cicero in Catone Majore. Corpora quidem exercitationum defatigatione

ingraveſcunt, animi autem exercendo levantur. Et Quintilianus, memoria excolendo ſicut alia omnia augetur. Et Radan, maxima fabricandæ & ſervandæ ſibi memoriæ ars eſt, indies illam exercere, aut ſaltem ſæpiſſimè, quia otioſa diu & ſine uſu hebeſcit, & infidelis efficitur: cui conſentit Publius Syrus arcum intenſio frangit, animum remiſſio. Et rurſus Cicero: at memoria minuitur in ſenibus, credo, niſi eam exerceas. Senes omnia quæ curant meminerunt, manent ingenia ſenibus modo permaneat ſtudium & induſtria.

Memoria artificialis eſt ea, per quam memoria naturalis labilis & oblivioſa fit tenax, parva & exilis incrementum recipit, abjecta & vilis clareſcit, ignobilis & contempta nobilitatur, diſtracta & vaga figitur, dormiens & pigra excitatur, immobilis & infelix adjuvatur & movetur, mortua & perdita reviviſcit. Si vero eadem naturalis memoria in quodam extiterit Nobilis & præclara, mobilis felix & vivida, vigilans, vaſta, tenax & impigra; eam ipſam per artificioſam memoriam præſtantiſſimam & excellentiſſimam fore pollicemur.

Concinnamus itaque pro artificiali memoria apparatum locorum imaginum, diſtinctivorum, actionum, & exercitii quo fulta memoria naturalis licet debiliſſima, ad talem & tantum perfectionis gradum ſublimetur, quo mortalium nemo, etiam ſummis propoſitis præmiis ſine arte queat pervenire. Hinc prodigioſa illa, quibus Lambertus triumphat, diffunduntur facinora: audi ejus propria verba & experire.

Prima lectione traduntur fundamenta artis, & regula vocabulorum intellectorum, & in 25. fit declaratio, ac ſtatim aliqui ex auditoribus illa recto, retrogrado & intercalari ordine repetant ſine mora vel hæſitatione: quidam adeò promptè ac ſi ex Charta deſcripta legerent. Sequenti die hora conſtituta propoſita aliâ 25. vocabula ab ipſis Auditoribus ſuo marte applicantur & repetuntur feliciter: ſi placeret illis prima lectione abſoluta ſe exercere in aliis 15. dictionibus, interjecto duarum vel trium horarum ſpatio eodem die conſequerentur id, de quo apud Platonem gloriatur Hippias tanquam de magno quodam bono, ſe poſſe 50. vocabula ſemel audita vel lecta quolibet ordine repetere. Si verò quotidiè ſemihoram, vel duos quadrantes diviſim huic exercitio quidam vellent tribuere, idque decem aut quindecim diebus, 200. 300. 400. 500. aut plura vocabula referrent. Si quis per hanc regulam mille, paulatim duo millia, tria, aut quatuor millia didicerit, quocunque numero expreſſo vocabu-

lum

lum dicet: aut nominata quacunque voce numerum indicabit, tanta cum admiratione hominum, ut indicent omnem captum excedere humanum, neque naturaliter fieri posse.

Secunda Lectio proponit regulam sententiarum, sive textus continui, eaque declaratur in duodecim sententiis, quas auditores repetunt quaternas, deinde à duodecima reditur ordine ad primam & contra, quod eadem fit felicitate, à quibusdam hora, alii exercitatione indigent unius duorum vel trium dierum ut idem præstent: neque hic licet synonymum pro synonymo collocare in quibus tamen facillimus est lapsus, aut situm dictionum mutare. Sequenti die dicuntur aliæ 12. sententiæ à Professore bis una quæque relicto paululum moræ post singulas quas Auditores per se applicant secundum demonstrationem præcedentis diei & exacte repetunt. Si quis in hac regula se exerceat 10. 12. aut 15. diebus, 20. 30. vel 40. sententias exacte poterit ad verbum recitare: ita ut nullam omnino dictionem mutet, vel è suo ordine removeat: si vero contingeret aliquam particulam omitti vel transponi, leviter tantum admonitus supplet, & in suum digerit locum. Hac regula Biblia, institutiones juris, tituli, leges, paragraphi, compendia Theologiæ, Jurisprudentiæ & Medicinæ ad verbum retineri possunt. Si nullus alius esset effectus artis memoriæ quam dictus, anne & cognitione dignissima, & liberali honorario redimenda. Paucis ab hinc diebus, duobus perspicaci ingenio viris sic sum locutus, si unius horæ spatio effecero, ut eadem 25. Vocabula quovis ordine repetatis, altera 12. sententias sine errore, deinde vos vestro quod ajunt marte, 8. 10. aut 12. diebus exerceatis semihora in una regula, & semihora in altera, id consequemini, ut 100. 200. 300. vocabula; 20. 30. 40. sententias verbotenus exacte repetatis quanti illas duas lectiones æstimaretis? Sine deliberatione responderunt id pecunia æstimari non posse, non dubito quin duas prælectiones has, non solum 6. aut 12. sed 20. 30. imò 50. aureis judicent redimendas. Longiore verò accedente exercitio Anni aut duorum, 60. 80. 100. 200. sententiæ à quibusdam repeterentur: quod Seneca in prologo declamationum de se testatur: quid verò existimandum est, si 4. 6. 8. 10. 20. annis, aliqui discrete in hac praxi versarentur. Hactenus Lambertus: qui in hac secundâ lectione paululum hyperbolice locutus non adeo subito promissa videtur implere, quam allicere.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42:Leibn. Marg. 42, Stück 11, [17] - 5

DE LOCIS 1.

GLoſſa cap. 2. extravag. comm. de ſent. excomm. variis modis locum attingit, vel pro gradu digniore. Horat. Singula quæque locum teneant ſortita decenter. Vel pro ſede Argumenti in Rhetorica & Dialectica. Vel pro habitantibus in loco ut Matth. 23. Jeruſalem Jeruſalem quæ occidis Prophetas & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt. Vel pro quantitate menſurante rem extra in Philoſophia. Vel pro ſpatio agri aut fundi: hoc poſtremo modo locus noſtro propoſito congruit, & eſt imaginum ſedes ſeu receptaculum aut ſpatium in quo imago poterit collocari.

Concipitur autem ingens vaſtiſſimaque Telluris regio, quæ facilioris apprehenſionis cauſa in mappa cogitatur ſuſpenſa & quadrata, ut commodius viſui objiciatur: hanc cecernimus in maria magna quadrata, cuilibet mari magno ſeu primo circumponimus maria minora per quamcunque formam aut formæ progreſſionem: in quovis mari condimus Inſulas magnas, ſingulis inſulis magnis ſeu primis circumponimus inſulas minores per quamcunque formam aut progreſſionem: inqualibet inſula inſtruimus caſtra prima & ſingulis caſtris primis circumponimus caſtra minora per formam & progreſſionem quamcunque: quodlibet caſtrum repletur Palatiis magnis, & ſingulis magnis ſeu primis Palatiis circumponimus Palatia minora, per quamcunque formam aut progreſſionem: quodlibet Palatium erit triangulare, quadrangulare, quinquangulare, ſexangulare aut plurium angulorum & conſequenter laterum pro ut viſum fuerit: quodlibet latus Palatii attollitur per contignationes innumeras: quælibet contignatio diſtribuitur in Cameras longa ſerie protenſas, Cameræ tenent quatuor parietes, quilibet paries reſpicit oppoſitos tapetes innumeros, loca parietum & Tapetum per formas & progreſſiones in infinitum excurrunt & minorantur. Hac via licebit omne ſcibile omnes poſſibiles libros eorum partitiones ſententias dicta & vocabula diſtinctiſſimè arti applicare.

Sicuti enim coſmographi memoriam marium mediterraneorum, ut Caſpii in Aſia, Ponti Euxini ad Europam, Lacus zaire in Africa, & Parime in America diſtinctè effundunt & alligant Chartæ quadratæ planæ; deinde conſeminant alia maria frequentiſſimis inſulis ut illæ in Archipelago maris Ægæi & in Oceano orientali inſulæ Maldivæ, quarum duodecim millia numerantur, fidem faciunt, ita nos coſmogra-

mographos præcurrentes comitamur, & memoriam omnem artificiosè in tuto collocamus.

Cuncta prælibata loca dicuntur prima præcognita artis, & dividuntur tripliciter in vacua, numeraria & metaphorica.

Vacuus locus est spatium structura verisimili definitum sed numero nondum insignitum, talia sunt ipsa præallata loca.

Numerarius locus est spatium vacuum, numero immisso cognitum, hæc est prima distinctio dictorum locorum omnium.

Metaphoricus locus non amplius in nudo vacuoque spatio neque in notatione siccorum numerorum consistit, sed est spatium ulterius perfectibile, translata nempè numeri imagine imaginisque actione vestitum. Ut si locum o zyphra notatum, imagine annuli. Locum 2. imagine cygni. Locum 3. imagine trianguli. Locum 4. imagine quadrantis. Locum 5. imagine manus. Locum 6. imagine stellæ. Locum 7. imagine securis. Locum 8. imagine calicis. Locum 9. imagine cornu, & ita successivè imitando arithmeticos numeros, exprimam.

Hac ratione maria, insulæ, castra, palatia, contignationes, cameræ, parietes, eorumque formæ, semper distinctas semperque easdem evolutiones numeris cognitas impetrarunt, ita ut præter metaphoricos numeros qui soli considerantur, reliqua architectura nihil oneris & nihil laboris contineat in locis vacuis & numerariis præmissis.

DE FORMIS LOCORUM 2.

FOrma est inserta distributio planorum quadratorum minorum, circa medium quadratum, in plano quadrato majore. Hac utimur in omnibus locis supra allegatis coordinandis, exceptis solis lateribus contignationibus & cameris, quia magis structura quam formis gaudent. Tales formæ sine fine variæ repertu sunt possibiles; qualibus Lambertus Paep & Buno gloriantur; quas tamen negligimus & missas facimus omnes, quia utilibus duntaxat inhærebimus, memores illius dicti Ciceroniani l. 1. de offic. ad usum accomodanda est ædificandi descriptio.

Sex ergo formas (ex quibus forma prima incipienti sola ad instar aliarum omnium erit) pro omni scibili reputamus sufficientissimas; & ex locis, melioris intelligentiæ causa, parietes tantum, quia apertius quadrati sunt, considerabimus: adquam deinde normam omnia alia, maria, insulæ, castra, palatia, quæ quantum licet, figuram quadratam debent affectare & appetere, commensurari queunt. For-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42:Leibn. Marg. 42, Stück 11, [19] - 7

Forma prima decem locis ordine homogeneo numerorum constat in pariete, & quadraginta in camera respice delineationem A. locatio seu ordo hujus formæ licet sit in arbitrio concipientis, non tamen suis caret momentis; satis enim ponderosa ratio est, quæ ordinem inchoat à Parietis medio, ut locus hic tanquam Centrum per circumposita novem loca perpetuo respiciatur, ideoque centralis alia vero circumposita loca prima & magna circumstantia appellentur. Medio loco centrali initianti Zyphram o seu annulum immittimus, non tamen sine duplici authoritate, nam Imperator cum paragraphos in institutionibus, Digestis, Codice & Novellis disponeret, hac perpetua methodo usus est, ut initiantem paragraphum sine numero præmitteret, quem numerum nullum nos annulum seu Zyphram o dicimus; sed etiam astronomicarum rerum periti dividuum integrum per minuta ordinantes ab hujus zyphræ o, usu perpetuo incipiunt; quibus nos obtemperantes locum exordientem medium centralem annulo insignivimus, & nihilominus angulorum quatuor naturalem ordinem, ordini numerorum consentientem custodivimus circumstanter illæ sum: reliqua etiam quinque loca per saltum dictis quatuor interposuimus tum ob circumstantiæ necessitatem, & numerorum plenitudinem, tum ut satis distincta ex intervallis locarentur.

Statuimus autem loca decem in pariete ex longe magis premente magisque relevante ratione: omnes enim homines tam Barbari quam græci ab uno ad decem usque numerando procedunt. Arist. & Pythagorici non alia de causa; quaternarium numerum ut sanctum venerati sunt, quam quia resolutus in 1. 2. 3. 4. & per singulorum collectionem additus, Decem efficit vide Plutarch. Sed multo magis commensuratio perpetuo decadica, omni cuicunque multitudinis numero conformabilis meretur celebritatem inter collectiones numerorum supremam, ita ut ars Memoriæ sine forma decadica ubique claudicans & manca deprehendatur.

Nihil ergo prius suadendum & observandum est, quam ut numeri decadico naturali cohærentes ordine, etiam artificiali ordine connectantur, alii verò numeri omnes infra vel supra decem nullibi commisceantur. Verbi gratia: 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. sunt numeri decem, decadico suo naturali ordine cohærentes, si quis minorem numerum 19. vel majorem 30. admisceat, jam alieni numeri intrusio: quæ summopere vitanda est, familiæ numeriæ obrepit.

Forma secunda æquè decem locis sed diverso ordine in pariete gaudet,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42:Leibn. Marg. 42, Stück 11, [20] - 8

det, & quadraginta locis in camera. Respice delineationem B. hæc forma loca centralia parietum homogeneo ordine continuat, sed loca prima magna circumstantia à centralibus discontinuat, ejus utilitas prægrandis est incollocanda subdivisione doctrinarum hinc eam profundissime menti imprimes, nam alæ totius negotiosæ memoriæ hic expanduntur.

Forma tertia disponit centum loca in Pariete & quadringenta in Camera. Respice delineationem C. hæc absolutissimè perfecta dici posset, non solum, quia decies decem, seu formam primam decies, id est, centralem locum cum 9. primis magnis, & singula prima cum novem secundis circumstantibus locis, homogeneo continuato ordine numerario complectitur: aut quia centesimus numerus perfectus reputatur. gloss. cap. 1. extravag. comm. de pœn. & remiss. Sed etiam quia instar aliarum omnium ubique valere potest. Specialiter autem hac forma in longo minutæ multitudinis continuato ordine ut Catalogis carere vix possumus.

Forma quarta repræsentat similiter centum loca in pariete, & quadringenta in camera, delineatio hic non est necessaria, quia pari figuratione, pro ut vidimus in forma tertia præcedit: differt tamen ordine numerario, quod loca centralia homogeneo numerorum ordine in omnibus parietibus continuentur, loca vero 99. circumstantia, quæ sibi homogeneo numerario ordine cohærent à centro discontinuentur; ejus utilitas succedit formæ secundæ, ubi enim propter paucitatem circumstantium novem primorum in subdivisione forma secunda deficit, ibi forma quarta per 99. circumstantia loca ejusdem ordinis numerarii succurrit, & supplet. Si verò hæc 99. loca paucitate fuerint inferiora, ad progressionem quæ surrogabitur convertemur.

Forma quinta æque centum loca affert in pariete & quadringenta in Camera respice delineationem D. hæc ex forma prima & secunda decies repetita conflatur, nam locum centralem cum primis magnis circumstantibus homogeneo ordine numerario, per omnes parietes juxta formam primam continuat: loca autem secunda quæ & centralem locum, & prima magna circumstant à suo centro, & magnis primis suis discontinuantur & sequuntur formam secundam, sibique non ultra novem ordine numerario continuantur.

Forma sexta plane similis est quintæ solo loco centrali excepto, continuatio numeraria fit per sola centra parietum, alia continuatio

fit per loca prima magna non tamen ultra ſuum parietem, alia continuatio fit per loca ſecunda non ultra novem. Ergo centrum diſcontinuatur à primis, prima diſcontinuantur à ſecundis, ſecunda ultra novem diſcontinuantur à reliquis.


Si quis abſtractionibus circa continuationes & diſcontinuationes locorum numerariorum, uti voluerit, non indigebit forma. 2. 4. 5. 6. conſultius tamen eſt etiam has formas conſervare, ne nimiis confuſionibus anſam demus.

Ad intellectum progreſſionum prærequiritur latior terminorum notitia, centralis locus propriè dictus habet circa ſe novem loca, & dicuntur decem loca prima & magna, quilibet locus primus poteſt fieri centralis reſpectivus & habet novem circumſtantia loca & dicuntur ſecunda, quilibet locus ſecundus ſi fiat centralis reſpectivus, habet novem circumſtantia & dicuntur tertia, quilibet tertius habet novem circumſtantia & dicuntur quarta, & ſic proceditur uſque ad atomos in infinitum.


Continuata loca numeraria dicuntur, quæ per decem prima magna, & per ſecunda & per tertia & per quarta in infinitum, nulla habita differentia ſubordinationis, ordinem numerarium non interruptum ſequuntur, non obſtante quod Philoſophi numeros in quantitate diſcreta non verò continua poſitos agnoſcant; neque impediet quod loca ex intervallis ſita ſint, vide formam 3.

Diſcontinuata loca vocantur, quorum ordo numerarius diverſus eſt ab alio ordine ſubordinato circumſtanter juxta formam. 2. 4. 5. 6. interrupto.


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42:Leibn. Marg. 42, Stück 11, [22] - 10




Primus Paries
Formæ primæ lit. A.



Secundus Paries.




Tertius Paries.




Quartus Paries.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK


Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [23] - 11




Primus Paries
Formæ fecundæ lit. B.



Secundus Paries.




Tertius Paries.



Quartus Paries.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK


Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [24] - 12



Paries primus formæ tertiæ
lit. C.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [25] - 13



Paries primus formæ quintæ
lit. D.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [26] - 14

De Progreſsione Formarum. 3.

PRogreſſio eſt formarum minoranda propagatio. Propago autem eſt vitis extenſa ſub terram ut radices novas agat gloſſ. cap. 3. Clem. de Hæret. Vitem propago, bibet inde futura propago.

Neceſſitas progreſſionis colligitur ex eo, quod nonnunqnam Doctrinæ in libris per partitiones & ſubpartitiones adeò varias multas & conciſas proponantur, ut communibus ſex formis ſuccumbamus, cui defectui remedium præſentiſſimum per progreſſiones formarum applicatur.

Prima Progreſſio incipit, ubi formæ deſierant videlicet in centenario parietis numero, & multiplicat formam tertiam vel quartam vel quintam vel ſextam per formam primam aut ſecundam, & producetur ſumma locorum millenorum in pariete & quatuor millium in camera. Deinde multiplicatur forma tertia per quartam vel quintam vel ſextam; aut forma quarta per quintam vel ſextam. Aut forma quinta per ſextam. Aut quælibet forma per ſe ipſam, conſurgentque in pariete decem millia locorum, in camera vero quadraginta locorum millia.

Secunda progreſſio incipit ubi prima finivit, videlicet in decem millibus locorum parietis: & multiplicat ea per formam primam vel ſecundam, & orientur centum millia locorum in pariete, in camera verò quadringenta locorum millia. Deinde multiplicat decem locorum millia per formam tertiam vel quartam, vel quintam vel ſextam. Et producentur in pariete decies centena millia, ſive unus millio locorum, in camera vero quatuor milliones.

Tertia progreſſio inchoat ubi in pariete ſecunda progreſſio ceſſaverat, videlicet in uno millione locorum. Et multiplicat ea per formam primam vel ſecundam, & procreantur decem milliones in pariete, in camera verò quadraginta milliones locorum. Deinde multiplicat unum millionem per formam tertiam, quartam, quintam vel ſextam, ut generentur in pariete centum milliones locorum, in camera vero quadringenti locorum milliones.


Quarta progreſſio incipit ubi deſierat tertia, videlicet in centum millionibus, & multiplicat centum milliones per formam primam aut ſecundam, & videbimus in pariete mille milliones, in camera vero quatuor millia millionum locorum. Deinde multiplicat centum millio-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42:Leibn. Marg. 42, Stück 11, [27] - 15

milliones locorum per formam tertiam quartam quintam aut sextam, & acquiremus decem millia millionum in pariete, in camera autem quadraginta millionum millia.

Siquis plures progressiones desideret eas concisas augere poterit pro arbitrio. Hac via vel in abyssum ordinatam progressionum descendimus, vel ad ejus ordinem primum non solum numerariè sed etiam metaphoricè surgimus. Et pertinent hæ progressiones non solum ad cognitionem seu speculationem camerarum, sed etiam imo multo magis ad actionem & praxin: non enim hic solos parietes formare & propagare intendimus, sed ex hac norma commonstramus, quomodo sine ullo Orci horrore, sine ulla Chaotica confusione vix enarrabilem numerum, Marium, Insularum, Castrorum & Palatiorum in Vastissima illa ingentique Telluris regione coordinata concipere liceat neque quisquam miretur id fieri commode posse, imaginationi enim & apprehensioni obediunt omnia, & in loco minimo ut Daleri exercitum centum millium hominum pugnantium concipere licet, quanto magis in majore pariete, & adhuc multo magis in immenso Telluris Marisque tractu id præstabimus. Hac ratione omnes totius mundi Bibliothecæ cum infinita librorum copia distinctissime hospitantur, ita ut etiam omnia omnium librorum vocabula peculiarem & distinctissimam sortiantur sedem.

Suspendi



Suſpenſi Tapetes. lit. E.

C De

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [29] - 17

De quorundam locorum ſtructura ejuſque progreſsione.

STructura concernit ædificationem Palatiorum per latera contignationes & cameras, ſicuti Architectura eadem exhibet in pompoſis & ſuperbis fabricis; ſi partes palatiorum propagentur, conficietur ſtructuræ progreſſio.

Prima Progreſſio concernit ipſa palatia multiplicanda, ſi ex uno palatio faciamus tria quatuor aut plura, quod factu eſt facile, nam in interna palatii vacua area, ad principalis palatii ſimilitudinem, quæ tamen ſemper proportionaliter minor & minor efficitur, ædificantur nova & nova palatia, relicta inter unumquodque libero ambitu. Reſpice delineationem. E.

Secunda Progreſſio reſpicit laterа palatii non quadrati, ſed pro arbitrio quinquangularis, ſexangularis pluriumque angulorum & conſequenter laterum. & alas alicujus lateris extendimus quo uſque libuerit per appendicem.

Tertia progreſſio ponit ſupra latera & alas Palatii contignationes, quæ ſupra ſe invicem ſurſum attolli poſſunt pro arbitrio quaſi infinitæ.

Quatra progreſſio tangit multiplicationem cameræ, & fit per ſuſpenſos Tapetes quatuor, qui cameræ parietibus ita opponuntur, ut non incumbant Parietibus, ſed ab iis figura quadrata ita diſtent, ut ambitus circa circum pateat liberrimus: dependent autem tapetes à ſummo tabulato uſque ad primum pavimentum, concipiturque lux quædam ſufficiens per feneſtras illabi: quoties igitur in Cameræ libero aëre tapetes ſuſpenduntur, toties duas novas impetravimus cameras: nam antica & poſtica id eſt oppoſita & parallela tapetum ſuperficies novas duas cameras repræſentat videlicet bis quatuor parietes novos. Si hæc tapetum ſuſpenſio ſexies repetatur præter primam principalem cameram ſtatim duodecim novæ cameræ præſentes adſunt. Reſpice delineationem E. hæc progreſſio incomparabilem promittit in praxi utilitatem.

Sed hic oritur dubitatio, an loca & diſtinctiva recti parietis cum ſuis actionibus eodem ſitu ſine ulla alia mutatione poſſint tranſumi ad tapetem ſuſpenſum: nam hac ratione, actiones locorum, quæ in recto pariete à ſiniſtra ad dextram vergebant, nunc oppoſito modo intuenti

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [30] - 18

intuenti apparebunt à dextra ad siniſtram, qui modus ſi poſſit cum ſucceſſu practicari, non poſtremum artis arcanum continebit facillimum, Commodiſſimum, breviſſimum.

Signa in delineatione E. intelliguntur hoc pacto. 0. eſt ſuperficies parietum. 1. 2. ſunt ſuperficies tapetum primorum anticæ & poſticæ. 3. 4. ſunt ſuperficies tapetum ſecundorum. 5. 6. Sunt ſuperficies tapetum tertiorum & ita ſucceſſive.

Literæ Romanæ denotant ambitus. I. Eſt ambitus inter parietes & tapetes primos. II. Eſt ambitus inter tapetes primos & ſecundos. III. Eſt ambitus inter tapetes ſecundos & tertios & ita conſequenter.

De Imaginibus. 5.

IMmenſum locorum exercitum in aciem produximus hæc innumerabilia loca numeris diſtinximus, ſimulque omnia per decem ſolas imagines creavimus metaphoricè figurata, quomodo has & omnes alias poſſibiles imagines oporteat explorare, nunc accingimur.

Aſſignamus autem fontes ex quibus omnes imagines poſſibiles profluunt non plures quam octo, qui apud Theſaurum nominantur, ſimilitudo, attributio, æquivocum, hypotypoſis, hyperbole, laconiſmus, oppoſitio, deceptio. *Sive Pictura fuerit externa ſive fuerit interna, in his octo limitibus tota imaginum ars coarctabitur.*

Pictura externa vel eſt artificioſa, vel caſualis, vel naturalis.

Artificioſa pictura externa eſt ſoror poeſeos, naturæ æmula Baſilicarum complementum, pulcherrima & innocentiſſima oculorum deceptio, ultima imaginationis & artis energia, grandemque commendationem ſui promeruit ex can. 27. de conſec. diſt. 3. aliud eſt enim picturam adorare, aliud per picturæ hiſtoriam, quid ſit adorandum addiſcere: nam quod legentibus ſcriptura, hoc idiotis præſtat pictura cernentibus, quia in ipſa etiam ignorantes vident, quid ſequi debeant, in ipſa legunt, qui literas neſciunt: unde & præcipuè gentibus pro lectione pictura eſt.

Si quis Orator vel Poëta, vel Pictor indigeat conceptu novæ imaginis, ad dictos octo fontes ablegatur, ubi ſatiabitur, ſicuti in fine pro vocabulo Roma videbimus octoginta ex his octo gignendas figurationes.

Casualis pictura non modice illustris apparet apud Kircherum & Schottum, in lapidibus, montibus, glacie, nubibus, fungis animalibus, ut cancer repræsentat aquilam bicipitem, lucius instrumenta passionis Christi, radix filicis & polipodii monstrat aquilam, astragalis radix habet stellarum imagines, Ophiodis imagines serpentum, flos granadilla instrumenta passionis Christi.

Naturalis pictura ab Aristotele tangitur, quasi pictoris officio fungitur natura, dum condit & creat; deinde in camera obscura experimur, quod natura omnibus objectis visibilibus, vim pingendi imaginem sui indiderit.

Pictura interna ad rem nostram pertinet & per facultatem apprehensivam & imaginativam fit imago ejus quod est, vel esse concipitur, si hæc sit tritarum & quotidianarum rerum erit imbecillis ad memoriam excitandam ideò imperfecta ut ortus solis & occasus: Si verò res excellentes aut raras exhibeat, qualis est Eclipsis Solis vel Lunæ erit imago perfecta, nam talibus memoria ideò fortius afficitur quia rarius accidunt: in iis enim quæ raro fiunt miraculum est. nov. 105. cap. 1. Mirantur enim homines non quod majus est, sed quod rarum est. Augustinus tract. 24. in Joan Mirabile autem omne jucundum est & rapit Aristot. Huc pertinet turris in Elephante quia nobis est quid insoliti, licet apud Indos frequentetur talis armatura. Si imago fuerit propria & ponatur pro re ipsa cujus est imago ut Christi pro Christo facilis est nec indiget regula. De impropriis verò imaginibus ratio magis ardua est. Ideoque altius discutienda. Nam unus idemque ducatus primario est metallum, quia tamen cusus est, moneta dicitur, etsi pro conducta navi solvatur naulum appellatur, si vero pro sponsione interveniat arrha nominabitur, si fulgo rem attendas, significat superbam pompam, si cumulum, divitias:

Sicuti autem rerum quæ sub aspectum cadunt faciles & propriæ sunt imagines, nulla enim res sine imagine in intellectum recipitur: ita rerum quæ aliis sensibus exterioribus aut nullo percipiuntur, quamvis non ita in promptu sint impropriæ imagines, industria tamen humana modum invenit, quo illæ etiam ex tempore repræsententur, anima enim cognoscendo fit omnia: formantur autem impropriæ imagines ex visu, ex auditu, & ex intima significatione, de quibus mox doctrina tradetur.

Impor-

Impropriæ Imagines ex Visu. 6.

OCularem apparentiam sequitur Visus, & ex præfatis octo fontibus sibi duos duntaxat arrogat, ex quibus suas improprias imagines pro numeris, vel literis vel vocabulis cudit, videlicet ex similitudinis proportione, & attributione per omnia prædicamenta si quis voluerit ductis.

Sit exquisitissimum & in arte solennissimum exemplum per loca metaphorica ex numerariis locis figurata pro zyphra 0. ponitur annulus ex similitudinis proportione. Pro 1. ponitur candela ex similitudinis proportione. Pro 2. ponitur cygnus ex similitudinis proportione. Pro 3. ponitur triangulus ex attributionis ratione nempe species pro genere. Pro 4. ponitur quadrans mathematicus ex attributionis ratione nempe species pro genere. Pro 5. ponitur manus ex attributionis ratione. Pro 6. ponitur stella ex attributionis ratione quia sex radii sunt species, & genus est numerus 6. Pro 7. ponitur securis ex similitudinis proportione. Pro 8. ponitur calix ex similitudinis proportione. Pro 9. ponitur cornu ex similitudinis proportione.

Vel aliter 0. globum, sigillum, monetam, scutellam, caput clavi, tomicem, speculum Pavonis, sertum, coronam, ex similitudinis proportione repræsentat.

1. Cultrum, gladium, piscem, columnam, hastam, baculum, sagittam, ulnam, sceptrum ex similitudine figurat.

2. Aquilam bicipitem, libram, geminos, Hufeisen / tabulas Moysis ex attributione repræsentat.

3. Tridentem, trifolium, tripodem, triregnum papale, crucis titulum, Absolonis lanceas, cerberum, ex attributione repræsentat.

4. Tesseram, craticulam, papilionem; quadrigam, altare, librum, fenestram, lapidem sepulchralem ex attributione repræsentat.

5. Vulnera Christi, rosam campestrem, nidum hirundinis in quo 5. pulli solent esse, ex attributione repræsentat.

6. Lacertam, crocodilum, hydrias Canæ Galilææ, cellas apum, christallum ex attributione. Vitrum retottum ex similitudine repræsentat ita quoque laqueum.

7. Nor-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [33] - 21

7. Normam, gnomonem, genuflexum, vexillum in turri, falcem, gruem ex ſimilitudine, planetas ſeptem ex attributione repræſentat.

8. Horologium arenanum, cucurbitam duorum ventrium, ocularia, duo tympana equeſtria ex ſimilitudine, cancrum & ſcorpium octo pedum ex attributione repræſentat.

9. Clavam, pyrum oblongum, pedum Epiſcopale, glomum fili hamum, contum ex ſimilitudine, novem muſas ex attributione repræſentat.

Numeri Romani ſimiliter figurantur.

I. ut ſupra numero 1.

V. Novaculam, canalem ex ſimilitudine repræſentat.

X. crucem S. Andreæ, molendinum alatum, verticillum ſemitarum, forficem, ex ſimilitudine repræſentat.

L. Normam, falcem & cæt. uti in num. 7.

C. ſemilunium, mediam rotam, velum navale turgens, arcum ex ſimilitudine, & CC. crepidam Diſcalceatorum repræſentat.

M. habetur per tripodem aut tridentem.

D. caput cornutum Tauri.

Hoc pacto ex viſu integrum Alphabetum invenitur, ut circinus cum brachiolo pro A. eine Laute pro B ein Gerb reyſen pro C. ein Zuber pro D. tridens pro E. ein Sabel pro F. ein Schnecke pro G. ein Hohlbahrer pro H. eine Saule pro I. eine Helleba. de pro K. eine Senſe pro L. ein Dreyfuß pro M. ein Hewſchreckenbein pro N. eine Schelle pro O. ein Biſchoffſtab pro P. eine Rube pro Q. ein Zanbrechzang pro R. eine Schlange pro S. ein Nab r pro T. ein Schermeſſer pro V. eine umgekehrter Vierbeinigter ſchemel pro W. eine Schere pro X. eine Binderzang pro Y. eine Maurerkelle pro Z. Fere omnes hæ imagines ex ſimilitudinis proportione trahuntur, ex attributione quaſi nullæ aut paucæ.

Impropriæ Imagines ex Auditu. 7.

AUditus obſervat ſonum & pronuntiationis affinitatem ideo ex prælibatis octo fontibus ſolam æquivocationem pro formandis impropriis imaginibus literarum ſyllabarum & vocabulorum, memoriæ utilem proponit, ſed adeò efficacem, ut nullis imaginibus potentius & melius quam ex æquivocatione petitis, memoria vivacius vellicetur, pungatur & ſuſcitetur. Si

Si æquivocationes ſingularum literarum alphabethi ſpectemus, Commenius laborem hunc nobis antevertit per ſimiles animalium voces. A eſt vox cornicis. B ovis. C cicadæ. D upupæ. E infantis. F venti. G anſeris. H oris. I muris. K anatis. L lupi. M urſi. N catti. O aurigæ. P pulli gallinacei. Q cuculi. R canis. S ſerpentis. T graculi. V bubonis. W leporis. X ranæ. Y aſini. Z breme quæ eſt muſcarum ſpecies. Sed non paucæ harum imaginum nimis longe quæſitæ, vix ſatis poterunt memoriam monere: nam Vocabulum Roma per canem aurigam, urſum, & cornicem exprimeretur, quæ imagines ſignificationi vocabuli reluctantis ægre cohærent.

Paulò propinquius auditum pungunt imagines ſequentes A Aal. B Bett. C cete. D dez aleæ. E Elendthier. F effigies. G genu. H hamus. I Igel. K Kahlkopff. L elephas. M emplaſtrum. N enſis. O Ohr. P petard. Q Kuhe. R Ermel. S Eßig. T Theherba. V Vhr. W Weberlein. X ixion. Y ibis. Z Zettel.

Melius per ſyllabas æquivocatio vocabuli inſtituitur, ut in vocabulo Roma, ſyllaba Ro per rodere, juxta gloſſ. de elect. in 6. c. 17. vel per Rhodium coloſſum vel pulchrius per Roſam: & ſyllaba ma per manus efferri poteſt. De excellentia talis æquivocationis dignum eſt auſcultare Theſaurum.

Multo nobilior & argutior vis ingenii eſt, ſi exprimamus ſonum vocabuli per imaginem, quæ in voce æquivoca faciat mutos characteres loquentes: antiqua hæc fuit ſubtilitas Batrachi & Sauræ famoſiſſimorum Architectorum, qui ex Græcia Romam evocati propter ſuperbam ſtructuram templi Octaviæ dedicandi offerebant ſuas operas ſine ullo præmio ſolum modo ut poſſent nomina ſua eidem inſculpere. Quod cum à Romana ſuperbia non impetraſſent, ex proprio ingenio modo alio impetrarunt: nam in omni baſi & templi ornamento ſculpſerunt Ranam & lacertam; quorum una græce appellatur Batrachos, & altera Saura. Magnum ergo privilegium eſt, poſſe loquendo ſcribere & loqui ſcribendo, ita ut conceptus quandoque vilis ſimus ideò reddatur pretioſus, quia ex ſono quæſitus.

Si æquivocatio omnibus vocabuli ſyllabis commenſuretur, maximè commendabiles reddit imagines, ut ala, band, enſis, pro alabandenſis, quod eſt nomen Philoſophi apud Ciceronem, de qua civitate vide quæ habet Gothofredus ad l. 4. Cod. de ſpect.

Quia verò commenſuratæ æquivocationes rariſſimè reperiuntur, hinc proximum laudis locum occupat ſyllabæ primæ æquivocatio, etiamſi

etiamsi reliquæ imaginis abundent: hinc Lambertus ait, tales imagines sumantur, quæ in principio eam particulam, pro qua ponuntur offerant, ut tuba pro tu, Ægoceros id est Capricornus Zodiaci pro ego.

Contingit etiam, ut nonnunquam vocabuli syllabæ abundent, & primam ejus syllabam tantum imago æquivoca annuntiet, ut Rete pro Rethorica Theatrum, pro Theologia: & hic modus satis est laudabilis: sicuti patet ex concordantia S. Scripturæ, quæ ex meris initiantibus syllabis constans, versiculos integros legendos exhibet reflectenti: apparet etiam ex allegationibus, quæ vel una syllaba, vel literâ unâ vocabula integra subaudita memoriæ repræsentant. Ut C. pro Canone. Cap. pro Capitulo. L. pro Lege. Cod. pro Codice. 1. Cor. 1. pro prima Epistola D. Pauli ad Corinthios primo capite. Huc refer. a. e. i. o. v. Symbolum Frederici tertii austriaci Imperatoris, quo significabatur. Aquila electa juste omnia vincit. Vel Austria extendetur in orbem universum. Idem elucescit ex abbreviationibus quæ sub nomine Ciceronis circumferuntur & quæ in jure olim, nunc verò in Scholis vigent.

Quemadmodum autem Poëtæ moderni, Germani, Galli, Itali, aliique, magnopere delectant per versus suos Rythmicos, id est, æquivocationes ultimarum syllabarum, ita non minus benè ars memoriæ placere debet æquivocatione syllabarum primarum, ut intelligamus tædium omne, quod ex reluctante sensu diverso imaginum impropriarum propter literas & syllabas per visum & auditum similitudinariè attributè & æquivoce repertarum resultat, tolerari & digeri debere mediante aliquo interveniente mitigativo, quod apte æquivocam imaginem cum significatione vocabuli combinet.

Consultum quidem esset, omnem diligentiam in compilandis æquivocantium initiantium syllabarum vocabulis adhibere, eaque in magnum dictionarium 5. vocalium biliteraliter, triliteraliter, & quadriliteraliter redigere, ita ut vocales ad consonantes, & in principio, & in medio, & in fine syllabarum primarum ordinentur: quod dictionarium, quia ex una sola lingua repleri nequit, per vocabula aliarum linguarum, quas quisque callet complendum esset: sed hac necessaria prolixitate licet præsentissimè in parte juvemur, quam plurimi premuntur & optant remedium.

Hinc insinuamus secundum dictionarium biliterale tantum, in quo per vocales ante & post consonantes, syllabæ initiantes earumque imagines

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [36] - 24

gines offeruntur, quod dictionarium pro tota arte potest sufficere. Nam si syllabæ triliterales, in quibus vocalis in medio sita est, sint exprimendæ, producimus & extendimus vocalem, quasi bis poneretur, ut no-os pro nos. Vo-os pro vos. Si in triliteralibus syllabis vocalis in fine vel initio locaretur producimus & extendimus consonantem quasi vocalem annexam haberet, ut peræ pro præ. Pero pro pro. Abes pro abs. Idem in quadriliteralibus aliisque efficiemus ut; no-os-te-ra-am, pro nostram. Si quis tamen maluerit alphabeto visuali supra dato pro consonantibus uti, aut alphabetum ex auditu propinquius, loco vocalium productarum seu extensarum & loco consonantum adhibere, erit eidem semper liberum.

Possumus etiam tertium dictionariolum longe contractius & brevius pro tota hac arte, maximè verò pro vocabulis Barbaris efferendis ex solis novem literis consonantibus ante vel post vocales nexis, per earum imagines, æquivocas concipere. Consonantes sunt sequentes: B.D.F.K.L.M.N.R.S. Nam B. litera respondet litera P.--- D. respondet T.--- F. respondet V.W.--- K. respondet Q.G.I. consonanti, & ca, co, cu. S. respondet X.Z. & ce, ci. H. respondet suis vocalibus. Y. respondet vocali I. dyphtongi respondent vocalibus affinioribus.

Exemplum reperitur apud Erasmum, cum candidatus quidam, qui coqui filius habebatur in Ciceronis præsentia ab alio quopiam suffragium peteret, Cicero interloquens inquit: Ego Coque tibi favebo: ubi, jocus erat in æquivoca pronuntiationis affinitate Coque pro quoque. Aliud exemplum apud eundem habetur, quod in audientia Maximiliani Imperatoris, quam Legato extero concessit, ex parte Imperatoris à Ministro Status assistente responsum fuerit his verbis: Cæsarea Magestas pene caudet fidere fos, & horationem festram lipenter audisit. Dictionariolum integrum adjungimus consociatum imaginibus, ut si quis in aliis dictionariis difficultatem sentiat, hoc amplecti possit.

Baculus, Besem / biber, botrus, butyrum. Dama decipula, Distel / dolium, dumus. Fagotto, felis, ficus, folium, funda. Kappiß / Kegel / Kirwitz / Corallen / Kuhe. Lagena, leo, libra, lorica, lucerna, maxilla, medusa, midas, mola, mumia. Nagel / Neptunus, nidus, nola, nucleus. Rastrum, Rehebok / ribes, rosa. Rute. Sagitta, sera, scie, soccus, subula.

Abbas, ebur, hyppocentaurus, obex, houblon, atlas, hædera, hydria, Otter / uter. Aff / effigies, hyver, Offen / Hufte.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [37] - 25

acus, ecclesia, icarus, ocea, uccello. Ala, helleborum, illex, oleum, ulula. Amygdalus, emunctorium, imperatoria flos, Umeyß / umbo. Anchora, ensis, incus, oignon, uncus. Aranea, Ermel / iris, Ohr / ursus. Haaß / Feuresse / caminus, histrix, os ein Bein / Hussar cum alis, nam hi equites ad terrendos hostiles equos utuntur nexis dorso alis. Poterimus etiam pro triliteralibus syllabis tale dictionariolum conficere quod consultum est præparare & edisce re ex arte.

Si quis autem solidis cibis vesci desideret, ideoque qualescunque syllabas & qualiacunque vocabula exprimere voluerit ad figuras grammaticales convertemur non raro enim in erratis typographicis librorum, allusiones cum admiratione casus tam inopinate boni videmus optimas.

1. Transponendo literas. Karst pro cras. Kram pro carmen. Amor pro Roma. Medium pro quidem. Nebel pro Leben.

2. Mutando literam vel syllabam. Virgo pro pyrgo, quæ fuit anus nutrix quinquaginta filiorum Priami lib. 5. Æneid. Similes mutationes non sunt infrequentes in jure Canonico. cap. 2. de consuet. dicitur Archiep. & cap. Lundensi in Dania Postea cap. 1. extrav. com. de empt. & Vend. dicitur. Trever. Lubicen. ac Almicens. Episc. & in contextu nummi Polomæi. pro Olomucensi Episc. in Moravia & nummi Polonici.

3. Addendo syllabas vel literas grenovil pro nullus. Funambulus pro nam. Alatus cervus pro alacer. Bartholomæus pro meus.

4. Truncando literas vel syllabas. Vespa-anus pro Vespasianus. Mulus pro famulus: sicuti contigit suenoni Norvago Clerico indocto: qui cum legeret orationem. Deus Regem famulum suum protegat, dixit Deus mulum suum protegat. Quo errore confusus ad studia secedens & proficiens tandem creatus est Episcopus Rotschildensis in Dania.

5. Componendo literas aut syllabas. quies pro qui-es. Satyrus pro Sa-tyrus. Nam Alexandro Magno Tyrum obsidenti occurrerat in somno Satyrus, quod vocabulum Græcum divisum interpretatur tua tyrus.

6. Dividendo syllabas. Ala-band-ensis pro Alabandensis. Coloni-ensis, pro Coloniensis.

7. Contrahendo literas vel syllabas; Plica pro Pelicano. Ball pro Baal. Bottes pro Bootes.

8. Dila-

8. Dilatando literas vel ſyllabas, no-os pro nos. vo-os pro vos. no-os-re-ram, pro noſtram.

Reſtat poſtremo Ethymologia quæ imagines ſatis plauſibiles donat, Lens pro lentulo. Labium pro labeone. Ovum pro Ovidio. Hora pro Horatio, Virga pro Virgilio. Baum pro Bohemia. tun pro Lugdunum: nam tun idem eſt, quod Zaun ſepes: olim autem civitates erant ſepibus munitæ: hinc Londinum, Aberdonum, Varadinum, Segedunum, Campidona, Stettinum, Noviodunum proficiſcuntur. Magen pro Magazzino: eſt autem magen vetus Germanorum vocabulum ſignificans conditorium ſeu Horreum: inde derivatur latinum ſtomachus & loca Rothomagum, Noviomagum, Marmagum, Dormagum, & Amaga Daniæ inſula. Himmelſchon pro Amalaſunta, quæ fuit Regina Gothica Hiſpaniæ. Brenn-Herß pro Bernardo, nam Belgice Harts eſt cor, & bernen idem eſt ac brennen. Handveſt pro Hengeſto Rege Angloſaxonum. Leutewik pro Ludwig / id eſt hominum aſylum: nam wicken eſt weichen / retirren / refugium quærere: hinc Rißwik / Longwik / Brunswik / Oſterwik / & Harderwik / deducuntur. Roma deducitur à Ruhen / gloria, oſtentatione, triumpho; nam etiam Romulus eſt Rumling / ſeu gloriator, oſtentator, triumphator & his modis imagines improprias arti conducibiles ex auditu æquivoce ampliſſimas dedimus.

Imagines Impropriæ ex Intima ſignificatione. §.

SIcuti viſus ex duobus fontibus, & auditus ex uno imagines ſuas improprias haurit, ita intima ſignificatio ex omnibus octo fontibus eruit imagines ſuas improprias, magis tamen ingenio quod acuit, quam memoriæ quam ægrè adjuvat, ſervit; niſi fortè ſint imagines vulgo receptiſſimæ aut frequenter præmeditatæ, ita enim in memoriæ familiam adoptarentur & fierent propter ingenium plauſibiles, memoriæque gratiores. Indicem adjunginus aliquarum: & inſuper unum exemplum. Roma ducimus per omnes octo fontes, oſtendimuſque poſſe quemlibet fontem duci per prædicamenta, ut facillimè octoginta imagines impropriæ & plures etiam reſultare queant, ex quibus unam aut alteram ſeligimus optimam.

1. Roma dat imaginem urbis Sole cinctæ ex ſimilitudinis proportione.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [39] - 27

2. Roma dat montem & arcem Capitolii, ex attributione.

3. Roma dat urbem valide munitam, quia græcè Roma ſonat valentiam, ex æquivoco.

4. Roma dat triumphum ſub arcu, ex hypotypoſi.

5. Roma dat globum in quo ſit picta civitas quaſi alter Urbis eſſet, ex hyperbole.

6. Roma dat vexillum S. P. Q. R. ex laconiſmo.

7. Roma dat everſam Carthaginem, ex oppoſitione.

8. Roma dat Remum muros tranſilientem ex deceptione quilibet fons poteſt per prædicamenta vehi, nunc ſolam ſimilitudinem reſpicimus.

Roma dat florem Europæ ex ſubſtantia ſimilitudinaria.

Roma dat unicum gloriæ Phœnicem ex quantitate.

Roma dat radiantem ſplendorem Italiæ ex qualitate.

Roma dat Matrem Cæſarum ex relatione.

Roma dat catenatos Barbaros ex actione.

Roma dat Pilam Fortunæ ex paſſione.

Roma dat nidum aquilarum ex ubi.

Roma dat ſolſtitium majeſtatis ex quando.

Roma dat caput orbis ex ſitu,

Roma dat magnetem oculorum ex motu.

Roma dat coronam mundi ex habitu.

Si quis voluerit attributionem in prædicamentis reſpicere, deinde æquivocum, poſtea hypotypoſin & reliquos fontes integrum exercitum imaginum ingenioſiſſimarum impropriarum ſibi comparabit ex unico vocabulo Roma & aliis omnibus vix tamen ulla memoriæ, omnes autem Ingenio ſervient. Et ita imago nunquam poterit deficere in qualicunque materia: quæ deinde memoriæ familiaris reddenda eſt, ut ſtatim in promptu ſit.

De Imaginibus diſtinctivis. 9.

VIdimus loca vacua & numeraria, deinde imagines locorum metaphoricorum omni umque vocabulorum poſſibilium in ipſis ſuis fontibus: quia vero loca numeraria & metaphorica omni cuivis diverſiſſimæ materiæ, ipſiſſima eadem expreſſione applicantur, ne ſint indiſtincta, imagines diſtinctivas oportuit inveſtigare & adjicere: indiſtincta enim pariunt confuſionem, confuſio errorem, error periculum.

Finge

Fingé tibi quendam Marcet nomine Parisiis qui in armis exercent unum militum Battalionem per omnes evolutiones militares, hic circa annum 1678. nominabat omnes hos milites illo nomine, quod semel ante ipsum defilando acceperant si secundus battalio, & tertius & quartus, & quintus, similiter fuerit seorsim ordinatus, & postea omnes milites simul permiscerentur, nisi præcesserit cujuslibet numerati battalionis distinctio, confusio orietur perpetua: si verò distinctivum cujuslibet battalionis per habitum diversum, vel colores diversos, vel signum, vel aliud quidvis numeris implectatur & nominibus nihil ordinatius à mente humana in summa quavis multitudine & varietate excogitari poterit. Ordinis enim & distinctionis fons est notitia numerorum, quanto magis notitiæ distinctorum numerorum, ipsas distinctiones distinguent, ipsos ordinum ordines ordinabunt, & scrutinium absolutissimum perficient.

Distinctivum aliud est inutile, cujus usus extra applicationem nullus est, de quo nihil agimus, sunt enim ubique obvia talia distinctiva.

Aliud est utile ideò, quia ejus simplici usu non contenti, multiplex diversum commodum multiplicemque messem ex eo speramus, nam aliud agentes, & loca præcognita seu numeros metaphoricos derigimus, & memoriam ipsorum distinctivorum, quæ sunt laboris verum præmium adipiscimur, & scrutinium mirificè coadjuvamus per excellentias progressionis distinctivorum sicuti mox apparebit.

Imago distinctiva utilis duplex est vel peregrina, vel domestica.

Peregrina dicitur imago omnis, quam extra materiam qua occupamur, accersimus: & valet in præparatione locorum, diu ante materiæ applicandæ immissionem ordinandorum, ut parati simus ex abrupto specimen artis in quavis inopinata materia exercendi. Pulchrum enim est, at aliud agentes, simul teneamus sequentia distinctiva, licet postea nulla alia materia alliganda sequatur. Commendatur hic Genealogia Christi. Matth. 1. Catalogus Sanctorum, Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum, Virorum Illustrium in arte militari, Theologia, Jurisprudentia, Medicina, Philosophia, & quavis alia scientia & arte, quales infra delibabimus. Deinde Cœli signa, Civitates regnorum, cives in civitate, nomina fontium, fluviorum, marium, insularum, arborum, Herbarum, volatilium, natatilium, quadrupedum & insectorum.

Colores pertinent etiam ad imaginum distinctionem peregrinam,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [41] - 29

quos putat Lambertus se posse concipere, verbi gratia, Paries sit albus, niger, flavus, ruber, cœruleus, aureus, argenteus, variegatus. Nobis verò hæc sola tinctura vix possibilis apparet, nisi simul imagine illius coloris significetur: qua adhibita, perfecta distinctio sed inutilis juxta divisionem supra datam sperari potest, demus tamen curiositati aliquid pro Albo colore valet imago Ovi, lactis, nivis, lanæ, agni, dentis, oculi, lilii, convolvuli albi, alabastri, cretæ, calcis, salis, telæ, tigris, anseris, chartæ.

Pro Nigro colore valet imago carbonis, picis, æthiopis, corvi, vestis lugubris, noctis, umbræ, fumi, diaboli, sepiæ, attramenti, fornacis, camini, nubium, eclipsium arborum quercus & alni, ex quibus nigra tinctura provocatur.

Pro rubro valet imago rosæ, fragorum, Ribes, Cardinalis gummi lacca, cerasorum, baccarum rubrarum quibus aves capiuntur, cancri cocti, prunæ accensæ, sanguinis cochenille.

Pro flavo valet imago solis, croci, terici, sulphuris, straminis, mali citrini, auri.

Pro cœruleo valet prunum speculum payonis, montes remoti, Cœlum, cinis tegula fissilis, flores cœrulei.

Pro viridi valet imago smaragdi, chalybis, ranæ viridis palmæ, cupressi, lauri, hæderæ, graminis, frondium.

Peregrina utilis imago distinguens etiam capitur ex dictionario vel primo magno, vel secundo, vel tertio: prout supra attigimus, & prout operator voluerit eligere; ejus utilitas tanta est, ut sit comparabilis ligno pomifero cujus semen est in semetipso. Gen. 1. vel phœnici qui seipsum ex se gignit, vel dædaleæ officinæ in qua omnia utensilia se ipsa ex se movebant, ita in his dictionariis ars memoriæ seipsam docebit ex se. Oportet autem ad bis quinque vocales quæ consonantibus ante vel post vel intermediè; biliteraliter, triliteraliter, vel quadriliteraliter junguntur, & decem imagines constituunt, formisque nostris commodissimè adæquari possunt attendere, si enim pro quacunque nova materia decem prima loca possimus implere imaginibus: ipso pro centum locis distinctiva acquisivimus, in progressione id patebit postea.

Imago domestica distinguens & utilis, est ea, quæ ex visceribus rei præsentis elicitur, nam etiamsi distinctiva ad nihil aliud prosint nisi ut distinguant, & utilia distinctiva ultra suam distinctionem promittant concomitans emolumentum, domestica tamen utilis,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [42] - 30

lia, quo frequentius, aliud videlicet agendo recoluntur, eo insensibilius cum ipsius ipsæ materiæ memorandæ exercentur. Domestica locum habent, si quis nulla festinatione nec inopinato exercitio obruatur, sed cum mora & deliberatione & sufficientissimo temporis intervallo ad rem quandam memorandam accedit, ut contingit in scientiis discendis, in quibus nulla acceleratione urgemur. Exemplum erit, si quis vocabula velit edisscere, capiat folium vel focum pro distinctivo. Senticetum pro sententiis. Histricem pro historiis. Seu ex materia sua sumat æquivocam imaginem decies propagandam: plura de his in progressione dicemus.

Ad domestica distinctiva pertinet, si quis singulas literas vocabuli generici illius materiæ quam edisscere cupit decies arripias, ut si velimus catalogum Imperatorum Romanorum edisscere, Imperator est nomen genericum seu commune, ergo litera I. est domesticum distinctivum pro decem locis primis, litera M. est domesticum distinctivum pro decem locis secundis, litera P. est domesticum distinctivum pro decem locis tertiis, litera E. est domesticum distinctivum pro decem locis quartis & ita consequenter. Sed exhausto nomine communi, etiam exhausta erunt distinctiva, & hærebimus, insuper talia domestica distinctiva sunt inutilia. Hinc alium prætactum modum præferimus, quem mox in exemplo declarabimus latius progressive.

De Progressione Distinctivorum. 10.

NOn est necesse singulis locis, nova distinctiva adjicere, nam onus hoc fieret importabile: sed neque adhuc fuit practicabile, ut pro millenis locis, vel saltem centenis, inveniremus distinctivum unicum, sicuti pro decem locis satis feliciter præstitimus: longe etiam commodior ratio distinguendi esset, si sine imaginibus distinctivis, sola tinctura aut colore distinctivo uti liceret, sicuti Lambertus putat, & sic ab onere imaginum paululum respirare possemus quia verò jam monuimus solos colores camerarum, parietum & locorum imbeciliores esse, quam ut nobis satisfacere queant. imò esse quasi impossibiles sine imagine colorem repræsentante. Hinc in imaginum distinctivarum progressione quæ decadice procedit omnem salutem nostram tentamus.

Progressio nostra distinctiva est unius solius imaginis distinctivæ, decuple

decuple adoptatæ propagatio. Et hæc progreſſio duplex eſt, una aſſumpta, altera tranſumpta.

Aſſumpta Progreſſio ſe accommodat numerorum indoli decuplæ, & diſtribuitur in decem prima loca, 0. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. ideoque eſt imago unica his decem locis dictis communis, & in ſingulis repetite aſſumpta; demus exemplum catalogi Imperatorum, & capimus diſtinctivam imaginem domeſticam, quæ eſt Imperator in communi; dicimuſque, Imperator annulus, Imperator candela, Imperator cygnus, Imperator triangulus, Imperator quadrans, Imperator manus, Imperator ſtella, Imperator ſecuris, Imperator calix, Imperator cornu. Ex hoc exemplo ſequitur quod loca decem ſint ſemper eadem & ſemper diverſa mediante unico diſtinctivo communi diſtributo quaſi in ſua decem inferiora.

Tranſumpta Progreſſio adhuc magis ſe accommodat numerorum indoli non ſolum ſimpliciter decuple, ſed etiam & quidem maximè elevate, ſequendo ordinem compoſitum numerorum arithmeticorum ad amuſſim, ita ut imago diſtinctiva quæ in inferiori decadico non fuit diſtinctiva, ſed ipſa materiæ memorandæ imago, nunc adoptetur in numerorum valorem & familiam decuplam, ſuperiorem, inferiori numero congruentem. Nam ſicuti ex numero 1. fit 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. videlicet ex numero inferiore elevato, ad ordinem ſuperiorem tranſumpto; ita etiam contingit in imagine materiæ quæ numero 1. fuerat alligata ut tranſumatur pro diſtinctione decupla valoris & ordinis ſuperioris, idem intelliges de numero 2. ex quo fit tranſumpte 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. ſimiliter de cæteris in exemplo clarius cuncta apparebunt. Cape dictum Catalogum Imperatorum, & ſupponendo imaginem diſtinctivam aſſumptam alligabis nomina Imperatorum ordine ſuo. Hoc modo. Imperator 0. vacat. Imperator 1. Julius. Imperator 2. Auguſtus. Imperator 3. Tiberius. Imperator 4. Cajus Caligula. Imperator 5. Claudius. Imperator 6. Nero. Imperator 7. Galba. Imperator 8. Otto. Imperator 9. Veſpaſianus. Hucuſque imago diſtinctiva aſſumpta ſuo functa eſt officio, ſimul tamen inſenſibiliter alia diſtinctiva tranſumpta per alligationem nominatorum acquiſivimus; nam imago Julii loco 1. alligata fiet diſtinctivum tranſumptum & elevatum. Pro decem locis ſuperioribus ex numero 1. compoſitis, imago Auguſti loco 2. alligata fiet diſtinctivum tranſumptum & elevatum pro decem locis ſuperioribus ex numero 2. compoſitis & ita ſucceſſive. Hoc modo

modo Julius 10. Titus. Julius 11. Domitianus. Julius 12. Nerva. Julius 13. Trajanus. Julius 14. Hadrianus. Julius 15. Antonius. Julius 16. M. Aurelius & L. Verus. Julius 17. Commodus. Julius 18. Pertinax. Julius 19. Didius Julianus. Progreſſio tranſumpta prima finita eſt, ſequitur ſecunda: Auguſtus 20. Severus. Auguſtus 21. Antoninus caracalla. Auguſtus 22. Macrinus. Auguſtus 23. M. Aurelius Antoninus Heliogabalus. Auguſtus 24. Alexander Severus. Auguſtus 25. Maximinus. Auguſtus 26. Maximus & Balbinus. Auguſtus 27. Gordianus. Auguſtus 28. Philippus. Auguſtus 29. Decius. Progreſſio tranſumpta ſecunda finita eſt, ſequitur tertia, cujus imago eſt Tiberius ex numero 3. ergo diſtinguit 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. loca. Caligula ex numero 4 diſtinguit loca 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. Claudius ex numero 5. diſtinguit loca 50. 51. 52. 53. &c. Veſpaſianus ex numero 9. diſtinguit loca 90. 91. 92. 93. 94. 95 96. 97. 98. 99. Commodus ex numero 17. diſtinguit loca 170. 171. 172. 173. 174. 175. 176. 177. 178. 179. Caracalla ex numero 21. diſtinguit loca 210. 211. 212. 213. 214. 215. 216. 217. 218. 219. Philippus ex numero 28. diſtinguit loca 280. 281. 282. 283. 284. 285. 286 287. 288. 289. Et ita ſi fuerit neceſſe, ulterius, licet tot Imperatores non regnaverint. Exempli tamen gratia ultra debitum nos extendimus, imò debuiſſemus nos extendere amplius, ut loca peregrina utilia, qualia hæc ſunt, formentur ad uſum inopinati ſpeciminis ex abrupto in qualicunque alia materia edendi: nam ſi 121. fuerint Imperatores, diſtinctiva ultima imago hujus numeri 121. diſtinguet loca 1210. 1211. 1212. 1213. 1214. 1215. 1216. 1217. 1218. 1219.

Nunc grandis illa quæſtio, de qua hic libellus ſuum titulum mutuavit, tractanda eſt, quod nempe ſola decem loca omni ſcibili ſufficiunt; partem hujus promiſſi paulo ante in progreſſione monſtravimus, nunc reſiduo promiſſi ſtamus. Quærimus enim an in exemplo progreſſionis tranſumptæ Imperatorum ſit neceſſe una cum imagine tranſumpte diſtinctiva etiam numerum tranſumptum repetere. An videlicet Tiberius 30. Tiberius 31. Tiberius 32. Tiberius 33. Tiberius 34. Tiberius 35. Tiberius 36. Tiberius 37. Tiberius 38. Tiberius 39. Oporteat ſemper numerum 3. metaphoricè exprimere. An imago diſtinctiva Philippus cum ſuo numero 28. in locis Philippus 280. Philippus 281. Philippus 282. Philippus 283. Philippus 284. Philippus 285. Philippus 286. Philippus 287. Philippus

lippus 288. Philippus 289. sit semper repetenda. Respondemus non omnes ad Herculeos labores tolerandos aptos esse, neque omnes millena & millena loca expetere, si quis verò se adultum in arte senserit felicissimè numeros compositos, quos imago transumpta æquivalenter repræsentat omittere poterit omnes, exceptis adhærentibus decem 0. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. ergo Tiberius 0. Tiberius 1. Tiberius 2. Tiberius 3. Tiberius 4. Tiberius 5. Tiberius 6. Tiberius 7. Tiberius 8. Tiberius 9. Æquivalent numeris compositis. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. Et si ponamus Philippum 0. Philippum 1. Philippum 2. Philippum 3. Philippum 4. Philippum 5. Philippum 6. Philippum 7. Philippum 8. Philippum 9. Idem est ac si diceremus 280. 281. 282. 283. 284. 285. 286. 287. 288. 289. Eadem æquivalentia in maximis numeris servanda est. Poterit tamen in omnibus locis annulo insignitis integra expressio numerorum metaphoricorum semel poni si libuerit. Hic latet solennis virtus artis; prout non sine admiratione in Excellentia ejus mox videbimus & sic vidimus manifestè pro tota arte, sola decem loca ex numeris metaphorica necessaria esse, quibus si distinctivas imagines pro ratione diversarum rerum scibilium addiderimus, in arce artis stantes nos liberavimus à data promissorum fide.

De Excellentia progressionis distinctivæ II.

AD stabilienda nostra promissa, septem saltem utilitates progressionis distinctivæ recensemus.

Prima Excellentia est evitatio confusionis in quavis innumerabili multitudine locorum; nam formarum progressio, & respectus decadicus imaginum distinctivarum, & commensuratio numerorum perpetua, reddit materiam alligandam adeò serenam & securam, ut omnis ubique tenebrositas absit.

Secunda Excellentia ostendit magnificas memoriæ divitias, quæ se in infinitum extendunt, nam ex primo unico distinctivo assumpto præcognito procreantur decem loca: ex his decem producuntur centum loca: ex his centum oriuntur mille loca: ex his mille locis nascuntur decem millia locorum: ex his decem millibus propullulant centum millia: ex his centum millibus proveniunt decies centena millia seu unus millio locorum: ex uno millione progerminant decem milliones: ex decem millionibus prosiliunt centum milliones locorum;

corum: ex centum millionibus surgunt mille milliones: ex mille millionibus aderunt decem millia millionum: & ita progressio transumpta in Oceanum distinctissimè abit toties, quoties quis novum distinctivum assumpserit seu inchoaverit.

Tertia excellentia concatenationem minimè onerosam in summa locorum multitudine offert. Nam vocabuli extremi in millione assignatio dat memoriam centies millesimi: centies millesimum vocabulum præstat recordationem decies millesimi; decies millesimum manifestat repetendum vocabulum millesimum: millesimum vocabulum indicat centesimum: centesimum vocabulum donat decimum: decimum dat cognitionem primi vocabuli: primum vocabulum manu ducit ad unicum solum distinctivum præcognitum. Hinc bene ait Goudin de ordine quod consistat in eo, ut cætera omnia reducantur ad primum; & glos. cap. 1. extrav. com. de pœnit. omnis multitudo reducitur ad unitatem. Nihil enim utilius est hominibus, nihil pulchrius ordine.

Quarta Excellentia causat roborationem memoriæ singularem, quia unumquodque distinctivum triginta vicibus nobis aliud agentibus recurrit, ut excidere vix possit, quæ excellentia maximi est momenti: nam vulgarem modum ediscendi, & artificialem quasi in uno fasciculo collectum continet; decies enim repetitur cum loca præparamus: decies repetitur cum materiam immittimus, & si materiæ fiat repetitio, denuo decies repetetur. Ubi semper reflexio à loco superiore ad inferiorem ducitur.

Quinta Excellentia incredibilem brevitatem in maximis numeris efferendis exhibet: pronuntiet aliquis millionem scriptum, nonne arithmetice. 1000000. Per septem zyphras, nec tamen sine punctationis auxilio eundem exprimet: Si verò per terminos artis memoriæ prædictum millionem pronuntiare voluerit: ponet candelam, annulum, annulum, annulum, annulum, annulum, annulum. Quæ expressio est molestissima & confusioni obnoxia: nos duabus solis enuntiationibus totum negotium perficimus nempe sola vocabuli imagine, quæ centies millesimum locum implet, & unico annulo addito. Similiter in majoribus & minoribus summis non amplius quam duabus enuntiationibus utimur, nempe duabus imaginibus.

Sexta Excellentia, licet unus locorum millio vocabulis immissis repleatur, nihilominus illa ipsa impleta loca pro alia quacunque ma-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [47] - 35

teria alliganda adhuc ſerviunt propter eximiam brevitatem quæ eſt amica memoriæ: ad ſummum enim ubique tres tantum imagines adſunt, ut quarta haud difficulter adjungi queat.

Septima Excellentia. Olim doctrina de arte oblivionis ſeu evacuandi aut abolendi imagines immiſſas tradebatur ex alia nulla ratione quam quia paupertatem ſuam extremam in formandis locis novis, Operatores agnoſcebant: nos ex Peruvianis memoriæ divitiis perpetua & liberaliſſima felicitate, nova ſemper & infinities nova loca profuſiſſimè poſſumus prodigere.

Vis harum excellentiarum ex convertibili æquipollentia inter loca & imagines reſultat: cujus ope ex numero vocabulum, & viciſſim ex vocabulo numerum, antrorſum, retrorſum, & intercalariter, ſine ulla mora recitare poſſumus. Perinde igitur eſt, ſive ponam numerum pro imagine, vel imaginem pro numero: nam poteſtate ſunt idem, idemque valent: & vocabulum in numero 50 metaphorico poſitum repræſentat æquivalenter numerum quinquageſimum; & viciſſim numerus quinquageſimus repræſentat vocabulum. Poteſt itaque alterum pro altero ſumi.

Si quis has excellentias probe ponderaverit, fatebitur hoc artificium ſeipſum recommendare, & novum quaſi mundum hic detectum eſſe: ita ut cum Pythagora per artis terminos exclamare liceat: inventum centum Cygnorum mactatione dignum: hactenus enim docentes memoriam quotidie Siſyphi lapidem volvebant, ut loca nova poſſent excogitare: nos quaſi in momento infinita loca præſentia habemus. Lambertus quidem etiam loca infinita in momento fabricare docet, quæ ſupra in progreſſione formarum attigimus, ſed loca ſunt inania, numeraria tantum, vel ſaltem multo & inexpugnabili onere locorum metaphoricorum abſque ullis diſtinctivis referta: noſtra inventio minuit multitudinem imaginum, auget diſtinctivam mentis aciem, perficit ſcrutinium, memoriam dilatat & dilatatam recolligit, informatque ſeipſam tanquam bombyx ſuam ex ſe telam trahens. Unicum deeſt, ut actiones decadice ſimulque variè ſciamus intromittere, quod exercitatione obtinendum eſt, forte etiam actionum quædam compendioſa ratio poterit explorari: prævideo enim in decadico ſitu & ſimilitudine differenter ſimili aliquid non commune, quod ſucceſſum promittit opinione majorem.

De

De Actionibus Imaginum. 12.

ACtio quæ est anchora memoriæ à quibusdam sumitur pro impetu, impulsu, vehementia aut commotione: ab aliis pro attentione, inclinatione, & affectu: ab aliis pro vigore, igniculo & ardore: apud nos actio est imaginum eloquentia & quasi sermo, ideoque attributum locorum & imaginum, neque ullum datur ens cui actio vel passio aliqua non conveniat.

Jordanus Brunus actiones accumulat hoc modo errando, transeundo, subeundo, adeundo, abeundo, coeundo, ascendendo, descendendo, obviando, deviando, vitando, destituendo, admovendo, pellendo, tradendo, excludendo, abalienando, circumagendo, aversando, refrenando, vexando, abjiciendo, retorquendo, dejiciendo, demoliendo, diruendo, erigendo, elevando, extirpando, distendendo, eradendo, abstergendo, eximendo, evacuando, hauriendo, & addit. Pertanto variare natura è bella.

Longe pulchrius ex Lamberto quædam actionum regulæ splendent. 1. Personis attribuendæ sunt actiones convenientes ipsarum conditioni, non enim rectè ac decorè Regi vel Principi actio Agricolæ tribuitur & contra. 2. Motus imagini attribuendus est, & si res sit immobilis, aut inanimata, constituatur persona quæ eam debita actione designet. 3. Actiones non sint otiosæ quia non satis excitant memoriam, ut si Equus sit in loco pede terram pulset aut fodiat: Si lupus, oves dilaniet ac devoret. 4. Si res aliqua fuerit parva, ut formica, musca, cicada, ut hæc mente videatur, fiet vel præfixione intenta, vel addatur res quædam illis familiaris, ut formicæ in cumulo frumenti occupentur, muscæ flabello ex plumis facto à patina melle oblita abigantur; vel constituenda est persona ipsam debita actione commonstrans: vel magna figura, veram tamen referente similia animalcula exprimantur, ut formica sit instar felis, vel canis, vel ovis, vel equi: musca instar passeris; cicadæ instar columbæ. Imaginationi enim obediunt omnia: sicuti enim civitas in exiguo loco ut ungue digiti pingi potest, ita contra res minimæ, si opus sit magna forma repræsentari possunt. 5. Imagines proportionem quandam habeant ad loca, & non excedant. figuratione autem & imaginatione omnia fiunt proportionata, hinc turris ita ponenda

nenda est, ut ejus apex in loco videatur. 6. Personæ in locis collocandæ sint grandes, vivæ & efficaces, quoniam plus movent. 7. Figuræ & imagines non sint solitæ, si recurrant, non enim satis efficaciter excitarent memoriam, quia mente transiens locum crederet rem non esse loco repositam: ut huic difficultati obviemus, observanda est variatio, attribuendumque aliquid insoliti, ut si in loco consuevit sedes esse, & tamen in eodem loco pro imagine ponenda, primo sit consuetus sedis situs, deinde sedes subversa constituatur, vel pendeat. Personæ etiam, in quibus maxima actionum vis residet, optimas variationes inducunt. 1. Dignitate, ut architesaurarius, archimarschallus, vel apud Ecclesiasticos Episcopus. 2. Nobilitate ut Dominus servus. 3. Virtute ut medicus, musicus. 4. Opificio ut horologiarius & arator. 5. Sexu ut vir fœmina. 6. Forma pulcher deformis. 7. Ætate senex infans. 8. Familiaritate frater soror. 9. Regula ex improviso collocantibus sufficit unam imaginem committere loco sed per otium & lente si fiat, non est inconsultum plures uno in loco constituere imagines bene distinctas, & commode oculis mentis se offerentes. 9. Si sine indecora repræsentatione fieri possit, actiones sint extremè deformes, monstruosæ, fœdæ, ridiculæ, horribiles, crudeles, magnæ varietatis, ut unus monoculus, alter maximo naso, tertius sine naso, quartus cicatricibus deformatus, quintus gibbositate inaudita, sextus gesticulans: pauper nudus sit pene totus lacerus in excessu vel actiones sint excellentissimæ, pulcherrimæ, admirabiles, raræ, novæ, delectabiles, ut Papa, Imperator, Rex in pompa solennissima. Genus vocabulorum ita patefiet masculina per virum, fœminina per mulierem, neutrum per Angelum, nescitur enim cujus sexus sit proferantur, ut libera viro legente, divitiæ à fœminis ornatis, scamnum ab Angelo agnoscantur, & is circa scamnum aliquid operatur, portat, abjicit, ultra saltat: Si verò ponatur animal, addatur Angelus qui illud ducat, percutiat, insideat. 12. Possunt quandoque literæ componi & inde vox artificialis effingi, ita ut quælibet litera dictionem suggerat. Verbi gratia: Habens Jesum Nazarenum Regem Judæorum Custodem Vitæ Suæ: unico vocabulo HINRICUS includitur. 13. Si plures imagines in uno loco non capaci sint exprimendæ varientur personæ, ut una magna aut altera sit cum parvis pluribus. 14. Non est applicanda Chartæ memoria, sed imagines & actiones sunt concipiendæ, quasi revera in pariete essent positæ: nam mens distracta

vacillat

vacillat & confunditur attentione ad diversa glos. cap. fin.extrav. de sent.excom. Perdit memoriam benè agendorum mens alienis distracta cogitatibus. 15. Operator non sit immobilis dum recitat neque oculis fixis tanquam statua erga parietem hæreat, sed sit liber & solutus ab indecoro.

De Actionum Progressione. 13.

VIdimus regulas actionum externarum, sed regulas internarum earumque vitam, ex qua propagantur externæ, attigit nullus. Revera enim memoria ex actione, actio autem ex passionibus animi nascitur; Passiones cum Aristotele sumimus non solum pro affectibus animi, sed etiam pro imaginatione, intellectu, & omnibus mentis & animæ operationibus.

Ergo actio propriè est forma exprimens aliquod animæ movimentum: anima verò utitur duabus facultatibus apprehensiva & appetitiva in motu suo interno ex quo motus externus seu actio producitur: jam agnoscimus quod ex solis duobus fontibus actiones omnes hauriendæ sint.

1. Apprehensio animæ producit has actiones, cognoscere ejus actus contrarius est ignorare, deinde cognitum monstrare, narrare, docere, affirmare, negare; ironia affirmat negando, vel negat affirmando. Reticentia affirmat tacendo, jurare affirmat religiosè; testimonium confirmat affirmatum. Post cognitionem attenditur reflexio, ex qua nascitur parenthesis, correctio, repetitio, admiratio, exclamatio, extenuatio: Et si objectum non sit præsens rememoratio præteritarum, vel præsagium futurarum. Si objectum est dubium, nascitur inquisitio, interrogatio, responsio, interpretatio, tacita objectio, sustentatio. Si verò objecta non existant, surgit fictio, imaginatio, expressio, prosopopœa, apostrophe. Si una cognitio pendeat ex alia, nascitur argumentatio, conclusio, epiphonema, compendium.

2. Appetitus animæ propagat sequentes actiones duplices, unas ex voluntate, alteras ex affectibus natas.

Ex voluntate irresoluta nascitur perplexitas, ex resoluta procedit approbatio, deliberatio, imperium, admonitio, dissuasio, obsequium.

Ex affectibus quia bini solent esse, nempè affectus concupiscentiæ & affectus iræ, nascuntur actiones dicendæ.

Affectus

Affectus concupiſcentiæ numerat adulationem, ſalutationem, veneration em, applauſum, abominationem, objurgationem, irriſionem, execrationem, deſiderium, invocationem, votum, petitionem, obſecrationem, recommendationem, conceſſionem, gratiarum actionem, recuſationem, exultationem, jactantiam, congratulationem, conſolationem, triſtitiam, ejulationem, improperium, pœnitentiam.

Affectus iracundiæ numerat ſpem, deſperationem, timorem, verecundiam, audaciam, impudentiam, iram, invidiam, comminationem, inſultationem, manſuetudinem, miſericordiam, confeſſionem, deprecationem.

Paucis multa in affectu concupiſcentiæ continentur actiones odii, amoris, fugæ, deſiderii, triſtitiæ, gaudii. In affectu iræ continentur actiones deſperationis, ſpei, audaciæ, timoris & iracundiæ.

Ex collatione nominatarum actionum omnium, illæ quæ ex affectibus erumpunt ſunt vehementiſſimæ, & ad memoriam excitandam optimæ. Nondum tamen in his ſic crudis ſiſtendum eſt: oportet enim actionibus quibuſvis vitam præſentem creare per ingenioſam metaphoram hypotypoſeos, quæ ſpiritum & negotium omni pigræ & mortuæ materiæ tribuit, non aliter ac ſi res præſens ipſiſſimis oculis geri & agitari cerneretur.

Hypotypoſis actiones propagat ſepties.

1. Imagine acuta, quæ eſt ſimilitudo; ut anguis coronato capite obtrito cauda minatur, pro Mitridate fuſo bellum inſtaurante juxta florum, More anguium, qui obtrito capite poſtremùm cauda minantur.

2. Expreſſione. Quæ conceptum realem per imaginarium vivaciter repræſentat, Verbi gratia: In ſylvæ arboribus creſcant naves juxta illud Flori de Duilio. Ut non arte factæ, ſed quodam munere Deorum converſæ in naves, atque mutatæ arbores viderentur.

3. Congruentiâ, quæ eſt ſingularitas imaginatæ ſimulque veri ſimilis circumſtantiæ, ut mater Euriali filii ſui interitum audiens apud Virgilium. Excuſſi manibus radii revolutaque penſa; & apud Claudianum. Pallas poſt victoriam illyricam viſitata à Marte, reperitur ſanguine imbuta, & ſerpentes ſcuti ſui incompoſitos tergens. Quæ ſanguine ſordida veſtem illyricis pingues pectebat cladibus hydros.

4. Pa-

4. Parentheſi. Non autem illa communi, quæ ad intelligentiam conceptus neceſſario pertinet, ſed alia, quæ per ingenium inſeritur materiæ, ut fiat dilucida, morata, & affectuoſa, idque quaſi per tranſitum, *en paſſant* v. g. hos inter placidi (poteras numerare lapillos) ſerpebant latices. Vel de tauro querulis mugitibus arva (reſponſant valles) amiſſa conjuge complet.

5. Partitione quæ enumerat partes poſt partes, ut Claudianus de Hiſtrice. Recenſet os, frontem, oculos, dorſum, ſetas, pedes.

6 Epithetis, quæ faciunt rem ſenſibilem. ut Terentius. Faciam ut noſcas, magnus, rubicundus, criſpus, craſſus, cæſius.

7. Verbis vitaliter actuoſis, etiam in rebus inanimatis. Ut in fluctibus natent arietes, qui cornibus petant ſcopulos, pro mare in ſcopulos arietat. Aut in rebus animatis, ut Terentius, ſupendo gradum, placide ire perrexi, acceſſi, aſtiti, animam compreſſi, aurem admovi.

De Connexione Actionum. 14.

Licet Lambertus putet, connexionem actionum non eſſe omnino neceſſariam, neque eſſe nimium affectandam: fruſtra tamen in hac arte ſperabis, ut parietes clament, lapides dent vocem ſuam Luc. 19. Habac. 2. Niſi connexio actionum quæ etiam catenula memoriæ dicitur, acceſſerit: qua adhibita naves navibus alligaſti ſiccis Helleſpontum trajeciſti pedibus, Aſiam & Europam junxiſti, arcem memoriæ aſcendiſti: nec te exſpectata ſeges vanis eludet avenis.

Connexio eſt imaginis activæ & paſſivæ approximatio, ex quâ non impeditâ neceſſario ſequitur memoria utriuſque.

Triplex eſt connexio, naturalis, artificialis ſimplex, & artificialis compoſita.

Connexio naturalis fit, cum res à natura cohærent, ut terra, aqua, aer, ignis.

Connexio artificialis ſimplex eſt, quæ ſine locis actiones pluribus imaginibus ita attribuit, ut una imago cum aliis ſe ſemper exerceat. Verbi gratia: Igniferum, veru avis, capo, armus ovillus, puer, cinis, ancilla, baculas mater. Ut hæc vocabula certius memoriæ infigantur, hac actionum conſideratione connexione & Choro fiet. Igniferum uncum habeat, quo ſuſtinet veru, hoc tranſpoſitum avi, caponi, & armo ovillo, à puero vertitur in cineres, ideo ancilla

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [53] - 41

percutit illum baculo, & objurgatur à matre, quod hoc fiat. Actiones quidem superfluæ & ludicræ videntur, sed ex alia memoria venit alia, priora post se trahunt sequentia, & si cum præfixione mentis eligentis, ut cum gravitate insententiis, Historiis, & aliis rebus seriis, hic actionum Chorus adhibeatur, ingentem causabit memoriam.

Connexio artificialis composita ideo dicitur, quod loca metaphorica & imagines materiæ faciat cohærere, & id quidem quinque modis.

1. Modus dirigit imaginem materiæ seu ejus actionem in locum metaphoricum tanquam patientem.

2. Modus dirigit actionem loci metaphorici in imaginem materiæ tanquam patientem.

3. Modus dirigit re actiones, loci scilicet metaphorici & imaginis in se invicem reciproce.

4. Modus ponit actionem loci metaphorici, ut sit idea pracognita, juxta cujus exemplar materiæ, seu imaginis actio similiter ponitur.

5. Modus, ex quarto modo, & priorum trium uno modo compingitur.

Autumo tamen, licet hic omnis ars diserte sit revelata ad quam detegendam nullus autorum se hactenus potuit resolvere, vix unum aut alterum eam posse perfectè intelligere, nisi vivam ostendentis voccm percipiat & sequatur.

Ne verò hic libellus alicujus defectus queat insimulari commendamus hunc modum. Attende ad imaginis distinctivæ actionem, huic approxima imaginem loci metaphorici.

Deinde attende ad actionem imaginis loci metaphorici, & eidem approxima imaginem materiæ: postea attende ad actionem imaginis materiæ, & eidem approxima imaginem secundæ materiæ, tandem attende ad actionem imaginis secundæ materiæ, & eidem approxima imaginem tertiæ materiæ, & ita consequenter chorum actionum & imaginum ducere licet concatenando 20. 50. 100. & plures materias, ex uno solo loco metaphorico; licet consultum non sit sine novis locis operari in multitudine: rupto enim semel ordinis filo hærebit operator, cui periculo per nova loca melius succurrimus, quia minus oneramus, & recentius per frequentia locorum exordia integramur.

De

De Exercitio in Communi. 15.

LAmponianus, qui Mediolani Principem Galeatium interfecit, toto anno ante, quotidie ejus effigiem pugione confodit, ut se exerceret. Hinc Seneca ait, quem in ipsa re trepidare nolueris, in ipsa re exerceas & gloss. cap. 6. de Elect. in sext. Natura potentem, ars facilem, usus promptum reddit artificem.

Operator incipiens, tres libellos conficiat, in uno longa serie vocabula intellecta, & non intellecta alternatim ponat notis arithmeticis ordine digesta. In secundo libello longa serie singulis notis arithmeticis singulas sententias adscribat; in tertio libello longa serie singulis notis arithmeticis singulas historias apponat: deinde ex his libellis decem vocabula, quinque sententias, & quatuor Historias, quotidie ediscat, debitis tamen adhibitis intervallis pro vocabulis, aliis pro sententiis, aliis pro historiis, ne commisceamus exercitia diversa; unus horæ quadrans uni exercitio tributus sufficit, raro mediam horam, nunquam ultra horam nos exercemus, utendum enim arte sicuti gladio non abutendum, hinc quies interponenda est singulis peractis exercitiis.

Sicuti operator præparat tres libellos, ita etiam tria Palatia & in singulis cameras cum locis præcognitis quotidiè præmeditabitur sufficientes, ut libellos cum suis materiis hospitare possit omnes. Distinctiva ad libitum possunt assumi: mihi tamen commodius videtur, ut primum distinctivum ex vocabulo communi pro decem primis locis assumatur, & peracto primo exercitio decem vocabulorum, statim ex decem alligatis vocabulis, pro centum locis transumantur distinctiva, alia neque est necesse de iis ulterius angi quia superabundanter ministrat ipsum exercitium nova. Distinctivum pro vocabulis potest esse folium vel focus. Pro sententiis, sentes vel Senſen. Pro historiis, histrio vel histrix, reliqua distinctiva per se sequuntur transumpte.

In Palatio vocabulorum in prima camera ita præparamus parietis primi loca, folium cadit ex arbore super annulum, folium super candelam folium super cygnum, folium super triangulum, folium super quadrantem, folium supra manum, folium supra stellam, folium supra securim, folium cadit supra calicem, folium cadit supra cornu; & ita juxta formam primam paries est præparatus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [55] - 43

Neque hic quidquam de ſententiarum aut hiſtoriarum palatiis, cameris & locis ac formis amplius dicere poſſumus, nam præparatio palatii vocabulorum apertam monſtravit viam.

Diximus parietem eſſe præparatum, quod intelleximus de actione diſtinctivi, cui approximantur imagines locorum metaphoricorum; nunc etiam actiones pro imaginibus locorum metaphoricorum ſunt concipiendæ, & in rigore poſſunt eſſe ſimiles actioni diſtinctivi; hinc annulus poteſt cadere, candela cadere, cygnus cadere, triangulus cadere, quadrans cadere, manus cadere, ſtella cadere, ſecuris cadere, calix cadere, cornu cadere, videlicet ſupra imaginem vocabuli mox approximandi loco ordini ſuo congruenti

Quid aliis videatur de hac methodo, nondum compertum eſt nobis: interim ſperamus hujus inventionis noſtræ perfectionem inpoſterum erupturam, ſicuti etiam ſupra in fine Excellentiarum progreſſivarum diſtinctivarum inſinuavimus, negare tamen non poſſumus, quin locorum actiones ſemper differentes, ſemper ſimilibus prævaleant, ſed hic labor non ſolum eſt Herculeus ſed etiam Syſypheus.

De Exercitio Vocabulorum 16.

LAmbertus quatuor modos, ediſcendi vocabula, profert: per Scripturam literarum, per imaginem, per ſcripturam & imaginem ſimul, per actiones. De ultimo modo ait:

Vocabula memoriæ commendãtur & retinentur imagines illorum, in locis poſitis, attributa aliqua inſigni actione: quæ ex veteri vel novo Teſtamento, ex hiſtoriis prophanis, ex fabulis Poëtarum, aut ex vita communi ſumitur: Si verò nihil ex tempore occurrat, quamlibet actionem, quæ affectu aliquo vehemente ſtatim memoriam excitet, fingemus. Huc uſque Lambertus.

Ratio figmenti hæc eſt, ſi enim apud Poëtas Tmolus mons habeat aures, naves loquantur, & ſaltent quercus, ſi humano capiti cervicem pictor equinam conſociet; ſi Pictoribus atque Poëtis quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas; ſi hæc Chymærica in pretio habeantur. Ars memoriæ, quæ eſt Pictura interna, & ejus negotioſa licentia facile pretioſior eſt cenſenda.

Lambertus proponit exemplum dicens in primæ domus primi parietis, loco candela, ponatur petra, ac aſtet *CHRISTUS* qui tanquam

tanquam faber ædificat, ita ut paulatim exurgere videatur Eccleſia. Deinde ponit in loco cygno caſtrum, nempe Elephantem & in ejus dorſo caſtrum, quod à militibus arcubus & jaculis defenditur, contra alios ex terra ſimilibus inſtrumentis oppugnantes.

Animadverte hic quam obſcure Lambertus artem doceat imò potius revelando & detegendo tegat, niſi enim præparaveris loca modo noſtro, & niſi connexionem actionum & imaginum adhibueris, nihil retinebis.

Suſcipe igitur melioribus avibus, præparata noſtra loca ubi folium cadit ſuper candelam, & Candela cadit ſupra Eccleſiam, ut incendium exoriatur, nam hæc nobis eſt actio Eccleſiæ; deinde folium cadit ſupra cygnum & cygnus cadit ſupra aquam foſſæ caſtri, aqua foſſæ aſpergit mœnia caſtri, nam hanc caſtri actionem fingimus; & ecce fieri nequit, quin data actione loci, ſtatim & primi & ſecundi vocabuli memoria ſequatur ſine ulla hæſitatione eandem promptitudinem experiemur in decem viginti triginta & quinquaginta vocabulis ſemel auditis, antrorſum, retrorſum & interpolate recitandis.

Magna difficultas conſiſtit in vocabulis Barbaris, adverbiis præpoſitionibus, conjunctionibus, interjectionibus, & terminis ſcientiarum benè memorandis, carent enim propriis imaginibus, & ſenſui ſe nunquam offerunt, hinc eſt, quod ſcientiæ adeò difficiles ſint intellectu, termini enim ſcientiarum peregrinis impropriis imaginibus agglutinati, rariſſimè imò nunquam veris imaginibus quibus carent apprehenduntur, propterea etiam leviter ex animo elabuntur, niſi nimia frequentia familiares facti fuerint.

Solemus ſimilibus vocabulis ſignum apponere, quo pateat improprias imagines intelligi debere.

Sicuti etiam in ſynonimis obſervamus. Pileus enim latine Pileus, Germanice Hutt / Italicè capello, Gallicè *chapeau*, Polonice czapka, Bohemice globok dicitur. Pro cujuslibet differentia, imagini pilei addimus, imaginem P. ſeu pedum Epiſcopale: aut S. P. Q. R. quia eſt vocabulum latinum vel addimus H. pro Hutt / aut aquilam bicipitem quia eſt germanicum vocabulum Vel addimus C. pro capello, aut ocream quia eſt vocabulum Italicum, Italia enim figuram ocreæ in mappa repræſentat. Vel addimus Lilium pro *Chapeau* quia eſt vocabulum Gallicum. Vel addimus Z. pro czapka, aut frameam quia eſt vocabulum Polonicum. Vel addimus G. pro globok,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [57] - 45

aut Baum quia est vocabulum Bohemicum. Si verò imago pilei libertatem significet additur L.

Si vocabula Barbara prælonga dentur memoranda, ut Constantinopolitanensibusque, & similia alia. Per syllabas binas ternas primas, toridem medias, & totidem finales possumus satisfacere. Licet 29. literas imò etiam 50. ad similitudinem tot personarum, aut tot vocabulorum cum ordine observare, exercitato non sit difficile.

Observandum etiam, ne jam aliquot vocabulis positis, dum occupamur, in sequentibus, solliciti simus, ne excidant priora. Metus enim ille impedit: & dum in singulis occupamur, ita id facere oportet, ut dum ad hunc illum tertium locum mente redimus, ex actione legamus: alioquin si quis putaret ex repetitione vel applicatione mentis ita facere, ut repetat, etiamsi nihil ex actione videret, is falleretur.

Repetitio post quemlibet quinarium numerum adhibetur tacite, nempe post 0.1.2.3.4. Si postea iterum quinque addiderimus, hæc 5.6.7.8.9. Repetimus cum prioribus quinque. Si rursus quinque adjiciamus, hæc 10.11.12.13.14. cum prioribus bis quinque repetimus, si tandem reliqua quinque loca impleverimus, hæc 15.16.17.18.19. cum omnibus prioribus repetimus tacite, & ita juxta formam primam unius cameræ parietes omnes, nobis firmiter infigimus.

Ad Vocabula pertinet Exercitium genealogicum, & series Imperatorum, Regum, &c. ubi meræ personæ sunt exprimendæ quas quatuor modis nobis figuramus.

1. Per imaginem propriam, si personam à nobis visam mente recolamus, ut si Innocentium XI. quem vidimus vivum nobis repræsentemus.

2. Per effigiem à Pictore propositam, & crebro à nobis consideratam, sic Christi, B.V. Mariæ & Apostolorum, nobis nunquam visorum imagines agnoscimus.

3. Per alium hominem nomine simili præditum, ut sit memorandus Clemens Papa, Rudolphus Imperator, ponitur ergo alius Clemens nomine quem habitu papali exornamus, vel alius homo Rudolphus, quem induimus habitu Imperatorio.

4. Per æquivocationem syllabarum, ut Wilhelmus, dat personam quæ amplexatur galeam, ubi amplexus significat den Willen/ voluntatem, & Helm significat galeam.

De

De Sententiarum Exercitio. 17.

PEr ſententias non ſolum ſapienter dicta, ſed etiam quemcunque verſiculum, aut verſum majorem, aut carmen quodvis, aut Periodum intelligimus.

Lambertus de his ita ait, principalium Vocabulorum imagines in locis ponantur, minus principalibus applicanda eſt memoria naturalis, ut adjuta à præcipuis imaginibus, etiam minus principalia vocabula ordine repetat.

Sunt autem in omni ſententia vocabula principalia, nomina ſubſtantiva, & verba: deinde adjectiva ſi pro ſubſtantivis ponantur; ut magna qui ſectatur. Aut ſi ſignificationem impleant ut magnæ urbes. Poſtremo adverbia ſi vis ſententiæ in iis ſit ſita, ut ſatius eſt, unum aliquid inſigniter facere, quam plura mediocriter. Minus principalia vocabula ſunt reliqua adjectiva, adverbia, pronomina, conjunctiones, præpoſitiones, interjectiones.

Vult præterea Lambertus, ut primo ad primariam unam cujuſque ſententiæ imaginem diligenter attendamus: deinde ad primum vocabulum, ſeu ejus imaginem, alterutro enim horum animadverſo facile reliqua occurrent. Sicuti enim oculis, ſi ex libro in ſententia unum aut duo vocabula prima videantur, reliqua ſe ſponte offerunt; ita etiam hic fit.

Clarius hac via incedemus, loco præcognito ſeu ejus actioni approxima imaginem ſententiæ primariam, imagini primariæ detur actio duplex una ad ſiniſtram altera ad dextram ordine in ſcriptis ſenſibili; his actionibus approximantur imagines reliquorum vocabulorum principalium ad ſiniſtram vel dextram, prout primaria imago, reliquas præviè vel ſubſequenter adhærentes gerit. Ex hoc cognoſcimus quod etiam retrorſum poſſimus ſententias recitare, ſi nempe primaria imago in fine ſententiæ hæreat; ut tamen ab initio ſententiam recta linea queamus recitare, proderit ut actioni loci præcogniti, imago primi vocabuli approximetur; aut ſi mavis locus præcognitus habeat duas actiones unam pro approximanda primi vocabuli, alteram pro approximanda primaria imagine. Singulæ autem imagines habeant ſuas proprias actiones, ad quas diligenter attendimus, & quibus approximamus imagines propinquas reliquas.

Ex

Ex hac methodo intelligimus, quod quælibet ſententia Operatori bis dictari debeat; primo ut primariam imaginem cum ſuis acceſſoriis, actioni loci approximet; ſecundo ut primi vocabuli imago cum ſuis acceſſoriis actioni loci approximetur. Vel primo ut primaria imago & primi vocabuli imago actioni loci ſubſternatur, & ſecundo imagines acceſſoriæ dictis imaginibus duabus approximentur.

Luſtremus exempla. 1. Sententia ſit. Theſaurum in ſepulchro ponit, qui ſenem hæredem facit. 2. pulcherrimum eſt, omnia præſtare, nihil exigenti.

Ante omnia inveſtigamus diſtinctivum pro locis ſententiarum, & aſſumimus ſenticetum, cujus actio erit, ut ſentes extirpentur. Ex hac diſtinctivi actione ſequuntur actiones locorum per ſe: gemma ex annulo eximitur: candela extinguitur: cygnus mactatur: triangulus diſſolvitur. Quadrans rumpitur. Manus amputatur. Stellæ radius obtenebratur. Securi manubrium excidit. Calix frangitur. Cornu obſtruitur. Intelligimus autem formam primam in pariete.

Locus ſenticetum annulus vacat. Loco ſenticeto candelæ approximamus unam ex primæ ſententiæ quatuor imaginibus: quæ ſunt, theſaurus, ſepulchrum, ſenex, hæres. Primaria nobis erit hæres, primi Vocabuli imago eſt theſaurus. Reliquæ imagines fiunt acceſſoriæ.

Attende quod retrorſum collocatio actionum fiat, & etiam poſt vocabuli primi imaginem antrorſum actionis actionibus occurrere debeant, hinc etiam retrorſum hanc ſententiam poterimus recitare: ſi libuerit.

Loco ſenticeto cygno approximamus primariam ſecundæ ſententiæ imaginem, Omnia; deinde primi vocabuli imaginem pulcherrimum. Reliquæ imagines ſunt acceſſoriæ.

Nota quod poſt primam dictationem ſententiæ, poſſimus imagines ordine vocabulorum per actiones ſibi invicem connectere; & poſt ſecundam dictationem poſſimus primariam imaginem & primi vocabuli imaginem loco approximare. Quilibet relinquitur ſuo arbitrio & electioni quam ſenſerit ſibi commodiorem neque hic ullus opponat, actiones & imagines non ſatis naturaliter committi: ſi enim ſine arbitro magiſtro, aut teſte, tuo modo ſententias collocaveris, licet exceſſum actionum patraveris, felicior erit labor tuus: Exceſſus enim quam maximè memoriam juvat, & cogitationis pœnam

nemo

nemo patitur, & passiones aut affectus animi, qui sunt actiones memoriæ, in aliis aliter disponuntur; diversis enim diversa placent: & pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figuræ. Ovid.

Si quis seriem multarum sententiarum suo ordine accurate velit retinere, vel per initiales literas, vel per initiantia vocabula, locis metaphoricis approximata id præstabit vel per primariam imaginem una cum primi vocabuli imagine id exequetur.

De Exercitio Historiarum. 18.

PEr Historiam intelligimus, omnes res sententiis majores, sive fuerint, paragraphi, sive similitudines, sive apophtegmata, sive exempla, huc etiam reduci possunt Orationes, conciones, & quidquid multi est negotii.

Duobus modis historiæ retinentur. 1. Coarcta historiam longe lateque diffusam in compendium: Compendii imaginem actioni loci prægogniti approximamus. Ratio est, quia compendia sunt primæ ansæ, quibus pondera apprehenduntur sed nonnunquam contingit, ut res diversissimæ in compendium unum compingi nequeant, præsertim in quibusdam capitibus S. Scripturæ, aut in libris titulisque digestorum huic necessitati prompte per dictum S. Chrysostomi succurrimus. Perpetuus Scripturæ mos est, à magis principali totum significare. Igitur ubi compendium fieri nequit partem maximè notabilem pro compendio totius adoptamus quandoque unum solum nomen proprium vim compendii obtinet, ut in Suetonii vita Cæsarum patet.

2. Divide historiam in meras partes, quas compendio annectimus ordine suo. Si verò multitudo partium id ægrè patiatur, imitabimur tabulas pictas, in quibus uni imagini principali majori, quasi elonginquo negotia plurima; subtili & minuta delineatione adhærent: hæc enim ars est pictura interna, & à pictoribus amat doceri: ideoque etiam licentia pictoria gaudet. Si verò hic modus non satis arrideat, per formam 2. vel 4 partes circumponimus compendio.

Per eandem jam datam rationem etiam partes partium collocamus, & si visum fuerit forma 6. utemur.

Non requiritur in historiis, ut textum ipsum cum ipsissimis vocabulis repetamus, hoc enim in exercitio vocabulorum & sententiarum

docuimus, sed sufficit si sensum intimum, per compendium & insigniores partes significemus, quem deinde nostris verbis proferimus.

Demus exemplum aliquarum historiarum. *1.* Historia sit ex libro Exodi cap. 7. usque ad *12.* ubi decem plagæ Ægypti enumerantur. 2. Historia sit Josephi Gen. *37.* ubi venditio ejus narratur. *3.* Historia & plures aliæ relinquuntur arbitrio operatoris.

Ante omnia quærimus distinctivum pro locis historiarum, & assumimus Histricem, cujus actio erit, ut aculeos seu setas erigat. Ex hac distinctivi actione sequuntur actiones locorum per se: annulus erigitur, candela erigitur, cygnus erigitur, &c. intelligimus autem centra parietum quia forma secunda uremur.

Locus histrix annulus vacat. Loco histrici candelæ approximamus compendium historiæ primæ, videlicet Crocodilum quem Moyses cum cruce, flagellat, nam crocodilus Ægyptum, crux decem flagellatio plagas indicat.

Nunc dividimus historiam primam in decem partes quæ sunt: 1. Sanguis. 2. Ranæ. 3. Cimices. 4 Muscæ. 5. Pestis animalium. 6. Ulcera. 7. Grandines. *8.* Locustæ. 9. Tenebræ. 10. Interitus primogenitorum.

Centro parietis candelæ circumponimus novem loca juxta formam. 2. In his præparandis assumimus crocodilum pro distinctivo, & dicimus circumstanter, crocodilus candela, sanguis. Crocodilus cygnus ranæ. Crocodilus triangulus cimices. Crocodilus quadrans muscæ. Crocodilus manus animalia. Crocodilus stella ulcera. Crocodilus securis grandines. Crocodilus calix locustæ. Crocodilus cornu tenebræ. Hic finimus functionem distinctivi assumpti; & in suspenso tapete transumimus distinctivum sanguis, dicentes sanguis annulus funera primogenitorum --- & sic per compendium & per partes primam historiam optimè collocavimus. Actiones quidem nullas attulimus, operator autem ex præcedentibus eas poterit colligere & intermiscere.

Loco histrici cygno, in centro parietis alterius approximamus compendium historiæ secundæ: videlicet adolescentem, cui cos est in manibus: nam cos ex affinitate sonat quasi ut gos, & gos sonat quasi ut Jos, hinc intelligitur Joseph.

Nunc dividimus capitis 37. historiam in partes. 1. accusat fratres. 2. videt somnia. 3. fratres consultant de eo occidendo. 4. mittitur in cisternam.

ſter nam. 5. venditur Iſmaelitis. 6. veſtis tincta ſanguine fertur ad patrem. 7. Jacob luget filium. 8. Joſeph revenditur in Ægypto Putipharo.

Centro parietis cygni circumponimus novem loca juxta formam. 2. In his præparandis aſſumimus cotem pro diſtinctivo, actio poſſet eſſe cotis rotatio. Et dicimus circumſtanter.

Cos candela accuſatio fratrum. Cos cygnus ſomnia. Cos triangulus conſilium occiſionis. Cos quadrans miſſio in ciſternam. Cos manus Iſmaelitæ ementes. Cos ſtella veſtis ſanguinea. Cos ſecuris Jacob lugens. Cos calix Putiphar emit Joſephum.

Si quis diviſas ſingularum hiſtoriarum partes ſingulas fuſius voluerit collocare, cuilibet tali parti circumponet novem loca, & ex hoc medio reſpectivo aſſumet imaginem diſtinctivam pro locis novem circumponendis ita ut quaſi forma ſexta exurgat. Actiones operatori concipiendas reſervavimus, ſed ſimiles ſuis mediis reſpectivis maximè in locis, nam in materiæ imaginibus non eſt ſemper neceſſaria ſimilitudo.

De Exercitio Orationum & Concionum. 19.

LIcet Cicero ſuggerat, artem memoriæ germanam eſſe ſororem literaturæ ſcriptæ, quæ à ſiniſtra ad dextram more Romano recta linea progreditur: nos tamen ex Ariſtotele ſcientes, quod propter noſtrum intelligere nihil mutetur in rebus, credimus, neque propter noſtrum ſcribere quidquam in rebus variari. Igitur ad præfatam Romanorum aliorumque arbitrariam ſcribendi rationem, quæ apud Hebræos & Arabes, à dextra ad ſiniſtram: apud Chinenſes à ſummo deorſum: apud alios ab imò ſurſum, & apud quoſdam Americæ populos circulariter fiebat, conniventes, uſui formarum localium nos accommodamus.

Ratio optima collocandarum Orationum eſt per Compendium & per partes.

Hoc modo ſupra Januam vel in Janua Cameræ pone Compendium orationis. Exordium pone in centro parietis annuli. Confirmationis partem unam pone in centro parietis candelæ. Alteram partem pone in centro parietis cygni. Perorationem pone in centro parietis trianguli.

Exordium & confirmationis ambas partes, cum peroratione, di-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42:Leibn. Marg. 42, Stück 11, [63] - 51

vide in quaſdam majores partes non ultra novem, & circumpone novem loca centris parietum, in quibus hoſpitentur datæ partes.

Singulas majores partes divide in minores partes non ultra novem, & circumpone ſingulis locis primis novem loca ſecunda circumſtantia, in quibus divertant partes minores.

Singulas minores partes divide in partes minimas non ultra novem, & pro his collocandis circumpone ſingulis locis ſecundis novem loca tertia circumſtantia.

Si libeat ulterius minorare partes, etiam circumponendæ ſunt.

Diſtinctiva ex ſuperioribus dictis non ſunt abſcondita, imago cameræ eſt diſtinctiva centrorum in parietibus, imago centri eſt diſtinctiva locorum primorum, imago primorum eſt diſtinctiva ſecundorum, imago ſecundorum eſt diſtinctiva tertiorum, circumſtantium locorum & ita ulterius.

Conciones eodem modo collocantur, ſi quis tamen pro multis locis, uno ſolo loco contentus eſſe velit. Loci metaphorici actioni approximet compendii imaginem cum ſua duplici actione quarum una vergat deorſum altera dextrorſum. Deinde partem majorem actioni deorſum approximet, & imago partis majoris ſimiliter duas actiones unam deorſum alteram dextrorſum geſtet; ſecunda pars major approximetur actioni partis prioris deorſum, habeatque duas actiones unam deorſum alteram dextrorſum. Et ita deinceps procedimus uſque ad finem.

Poſt collocatas partes omnes majores. Singula major pars dividitur in minores partes, quælibet minor approximatur actioni dextrorſum, & aliam actionem dextrorſum protendit, cui approximatur pars minor altera, quæ iterum actionem dextrorſum protendat cui tertia pars minor approximatur, & ita ſucceſſive.

Oportet autem orationem vel concionem prius bene legere, & intime intelligere, & ſic tandem arti applicare, nam ſine difficultate retinebimus intellectam.

Si quis autem concionem in templo habitam velit collocare & retinere, oportebit imagines periodorum captare & locis ſemper recentibus alligare, ipſa enim vocabula hic non curantur, quia ſenſum non vero dictiones venamur.

Forte non diſplicebit, ſi modum concionandi, quem Nunneſius invenit, ad notitiam deducamus, ponit enim 20. verba, & centum formas,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [64] - 52

formas, ut quocunque modo combinentur, magis autem succedit consilium si in singulis formis quasdam sententias aptas præparemus; & ita licebit ex tempore concionari, sine fine.

1. Disponit. 2. Consequitur 3. Auget. 4. Conservat. 5. Extendit. 6. Crescit. 7. Facilitat. 8. Fructificat. 9. Elevat. 10. Affigit. 11. Inclinat. 12. Usui est. 13. Emendat. 14. Communicat. 15. Repetit. 16. Debetur. 17. Correspondet. 18. Ordinatur. 19. Requirit 20. mensurat.

1. Fides. 2. amor. 3. bonitas. 4. obedientia. 5. oratio. 6. Sanctitas. 7. fortitudo. 8 gubernatio. 9. pax. 10. felicitas. 11. illustratio. 12. puritas. 13. acceptatio. 14. deificatio. 15. devotio. 16. sollicitudo. 17. libertas. 18 reformatio. 19 distributio. 20. plenitudo. 21. spes. 22. fidelitas. 23. liberalitas. 24. timor. 25. solitudo. 26. perseverantia. 27. valor. 28. capacitas. 29. suavitas. 30. altitudo. 31. conversio. 32. superioritas 33. imitatio. 34. religio. 35. conscientia. 36. exercitium. 37. triumphus. 38. leges. 39. patrocinium. 40 abundantia. 41. auxilia. 42. spiritus. 43 misericordia. 44. humilitas. 45. unio. 46. propositum. 47. consecutio. 48. prudentia. 49 providentia. 50. appetitus. 51. contritio. 52. gratiositas. 53. succursus. 54. exemplum. 55. sinceritas. 56. ædificatio. 57. celeritas. 58. proportio. 59. correctio 60. gustus. 61. vocatio. 62. abrenuntiatio. 63. beneficia 64. resignatio. 65. latitudo. 66. renovatio. 67. resistentia. 68. consilia. 69. præventio. 70. satisfactio. 71. pœnitentia. 72. speciositas. 73. gratia. 74. patientia. 75. quietudo. 76. dedicatio. 77. restitutio. 78. examen. 79. præmium. 80. veritas. 81. lux. 82. perfectio. 83. æstimatio. 84. paupertas. 85. anxietas. 86. castitas. 87. victoria. 88. justitia. 89. rectitudo. 90. centrum. 91. justificatio. 92. splendor. 93. redemptio. 94. mortificatio. 95. securitas. 96. sacrificia. 97. lucrum. 98. integritas. 99. vigilantia. 100 potentia.

Victorinus alium concionandi modum in virtutibus earum defectu, medio & excessu ostendit per octo præcepta decalogi. Hic apparet solutio Ænygmatis Platonici; Dimidium est plus toto; quia virtus media amplius valet quam defectus ejus & excessus.

Primi præcepti Virtutes: 1. Notitia Dei. 2. Timor Dei. 3. Humilitas. 4. Fides. 5. Spes. 6. Dilectio. 7. Patientia. Excessus 1. Dubitatio de Deo. 2. Timor dœmoniacus erga Deum. 3. Arrogantia. 4. Tentatio Dei. 5. Præsumptio. 6. Superstitio. 7. Negligentia.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [65] - 53

defectus. 1. Ignoratio Dei. 2. Contemptus Dei. 3. Pusillanimitas. 4. Diffidentia. 5. Desperatio. 6. Odium Dei. 7. Impatientia. Ex hac prævia Methodo quilibet sibi virtutes reliquorum septem præceptorum annotabit facile, cum excessu & defectu.

Collocatio horum præceptorum fit, si singulas cameras pro singulis præceptis ponamus. Deinde in parietibus veris collocemus excessus, in tapete frontis oppositæ ipsas virtutes, in tapete frontis parallelæ defectus.

Ecclesiasticis etiam conducet si pro excommunicationibus suspensionibus, interdictis, irregularitatibus, & impedimentis matrimonialibus palatia cameras & loca reliqua præparent, sic enim retinebuntur in memoria omnes, rarum enim est, si quis omnes in memoria habens, reperiatur: cum tamen id sit necessarium præsertim pœnitentiariis.

De Exercitio Viris splendidis conveniente. 20.

NEgotia quæ viris splendidissimis incumbunt, sunt comitiorum convocationes, Postulatorum propositiones, audientiæ Legatorum, pacta fœderum, pacis, gentilitia dotalia, capitulationes urbium, privilegia renovanda, notitiæ civitatum, arcium, dominiorum, Pagorum, redituum, confinium, classes & nomina subditorum.

Bellidux ut exerceat exercitum per omnes evolutiones militares, & sciat quis quoquo loco consistat, huc pertinent pacta obsidionalia, status contributionum ex terra hostili dandarum, Chartæ redemptionales captivorum, situs sylvarum, fluviorum, pagorum, arcium, urbium: quantitas annonæ commeatus & munitionis, exploratio signorum hostilium.

Præses seu Judex in consilio, sciat causas finitas, currentes, inceptas, quam causam cui Assessori tradiderit referendam quæ vota contraria, quæ rationes decidendi.

Assessor ut suarum causarum, quas refert statum pro & contra sciat, sine charta.

Modus memoriam adjuvandi in prædictis est sequens. 1. Termini soliti in negotiis prælibatis, anticipentur & scribantur in libello; simulque imagines, si impropriæ sint, adscribantur: ut familiares memoriæ fiant, imo melius est, ut ediscantur: nam si hæc præparatio

nor

non anteceſſerit, defectus imaginum & hæſitatio ſæpiſſimè incidet. 2. Oportet diſtinctiva & locorum actiones bene præmeditari: ſi enim hæc præparatio oſcitanter fieret, frequente cura operator diſtrahetur. 3. Diſtinctiva omnia neceſſaria debent eſſe peregrina utilia, videlicet ex catologo civitatum vel arcium, pagorum, fluviorum, montium, ſylvarum, & confinium petita, ut aliud agens duplex commodum operator lucretur. 4. Forma parietis eſt prima, aut tertia niſi quis aliam maluerit. 5. Singulis diverſis rebus ſingula palatia damus. 6. Operator non aſtringitur ad ipſiſſima vocabula, quia ponit paragraphos, ſufficit autem ſenſum ex arte collocare. 7. Si quis 20. 30. aut plures propoſitiones attulerit, reſponſiones ad ſingulas in oppoſito tapete poſſumus ſine ſcripto locare & retinere. Si replicet ex tempore, ſuam replicam in ſuperficie tapetis parallela ponet & ſciet quid dixerit ad ſingula. Si duplicata reſponſio contigerit novum tapetem ſuſpendimus & collocamus ſingula. Si triplicet in adverſa parte hujus tapetis collocamus ſingula. Et ita conſequenter.

Alia commoditas hic eluceſcit, ſi ex Poſta frequentiſſimi literarum faſciculi advenerint, ne ſit neceſſe eas ſæpius quam ſemel perluſtrare, & deinde alio tempore ſingulis ordine reſpondere queamus. Singulas epiſtolas ordinamus quaſi numeris inſcriptis, & ſenſum locis præcognitis approximamus & ſatisfecimus.

Advocatus vel Procurator paulò duriore labore oneratur. In platea ex adverſo domos oppoſitas ponet, in una linea domorum ſunt ſui clientes, in altera pars adverſa. In clientis domo camera prima ponitur omne antejudiciale cum libello, in camera ſecunda duplica. In tertia triplica. In quarta ſententia & executio, vel in quinta appellatio. In adverſæ partis domo camera prima ponuntur ante judicialia & exceptio, in ſecunda duplica. In tertia quadruplica. In quarta ſententia. In quinta appellatio. Hæc ordinatio procedit, ſi Cliens fuerit actor, nam ſi fuerit reus, invertenda ſunt omnia mutatis mutandis.

Si quis incidenter ventiletur, ſuſpenduntur tapetes in ea camera vel parte proceſſus ubi contingit.

De

De Exercitio dictandi simul plurimas diversas diversis scribis epistolas. 21.

SIngulis scribis & epistolis, unum parietem tribuimus, deinde epistolas in meras sententias, vel in vocabula mera ordinamus per numeros. Forma potest accipi tertia. Ex singulis parietibus primam sententiam vel vocabulum, singulis scribis dictamus, deinde secundum vocabulum singulis, postea tertium vocabulum, & ita usque ad finem. Hac via viginti, quinquaginta, & centum epistolæ totidem scribis possunt dictari.

Alio modo in decem epistolis, decem scribis dictandis idem possumus præstare. Unus scriba & epistola huic dictanda vocetur 0. Alter cum sua epistola sit 1. Sequens sit 2. Sequens 3. & ita successive notando scribas & epistolas reliquas. Usque deinde notamus singula vocabula prioris epistolæ. Prius vocabulum 0. Alterum 10. Sequens 20. & ita successive per saltum decadicum.

Altera epistola notatur per vocabula, & prius est 1. Alterum 11. sequens 21. Sequens 31. Sequens 41. & ita per saltum decadicum successive.

Sequens epistola notata per numerum 2. notatur in suis vocabulis. Prius vocabulum est 2. Alterum 12. Sequens 22. Sequens 32. Sequens 42. & ita successive.

Sequens epistola notata per 3. notatur in vocabulis prius vocabulum est 3. Alterum 13. Sequens 23. Sequens 33. Sequens 43. & cætera.

Sic proceditur donec novum numerum scribæ & epistolæ impresserimus, per vocabula ordinata prius vocabulum dicitur 9. Alterum 19. Sequens 29. Sequens 39. Sequens 49.

Qua dispositione peracta colligimus vocabulorum & numerorum ordinem, & adhibitis distinctivis & actionibus ea discimus memoriter, & possumus dictare tanto successu, ut singulos scribas ad quem dictatio vocabuli pertinet sciamus certissime, nam quodlibet vocabulum habet numerum scribæ sui annexum in ultimo qui numerus si abstrahatur remanet cursus ordinatus vocabuli in sua epistola, si non abstrahatur, denotat cursum ordinatum vocabulorum repartitorum incumulo dictationis collectæ.

De

De Exercitio Linguarum. 22.

MOdus privatus discendi linguas, magis ad cognitionem quam ad praxin pertinet: ideoque quidam propellunt discentem in turbam hominum, ut perpetuo lingua & auditus moveatur, quod etiam verissimum est.

Si quis tamen voluerit adjuvari ab arte, quæ sane laboriosissima est, hanc viam sequatur.

In libello longa serie numerorum scribantur vocabula linguæ maternæ notæ, cum suis imaginibus si fuerint impropriæ, & statim additur vocabulum peregrinum ejusque imago quæ semper est impropria; deinde imagines in loco præparato ponimus simul.

Aliis hæc collocatio non placet, nam imaginem vocabuli peregrini in oppositio tapete ex adverso ponunt. An autem loca tapetis iisdem distinctivis & actionibus locorum utantur, & solummodo ex dextro sinistri & ex sinistro dextri fiant, vel diversis distinctivis & actionibus provideri debeant, incertum est.

Nationum differentiæ ita poni possunt: germanus noscitur ex aquila bicipite, latinus ex S. P. Q. R. Græcus ex noctua, quæ est avis sapientiæ gratiæ dicata. Italus ex ocrea sicuti supra diximus. Gallus ex liliis vel gallo. Hispanus ex turri. Turca ex semilunio. Suecus ex tribus coronis. Danus ex Elephante ordinis signo. Anglus ex ligamine ordinis signo. Polonus ex cynosura quæ est stella polaris, vel framea. Americanus ex pennis avium. In monetis antiquis reperio caput elephantinum pro Africa. Serpentem & remum pro Asia. Veredarium pro Macedonia. Crocodilum sistrum & ibim pro Ægypto. Vas florum pro Achaia. Cuniculum pro Hispania. Jaculum pro Gallia. Palmam pro Judæa. Camelum pro Arabia. Asinum pro Dacia. Caput cum tribus coxis pro Sicilia trium promontoriorum.

Posset hic quoque Methodus, omnes species & regulas Arithmeticas in mente expediendi, insinuari: fuerunt enim quidam adeo alacres & impigri, ut dictas species & regulas etiamsi triginta zyphris constarent, possent in mente sola, sine charta elaborare & elaboratas correctissime recensere, quæ memoriæ felicitas ex arte imaginum metaphoricarum & connexione depromitur.

De Exercitio graviore, artem omniſcibili applicante. 23.

REpetatur ordinatio Telluris ſupra in locis propoſita: ubi commonemus, ne quis moveatur, ſi loca plurima præparata, in applicatione frequenter vacent: nam hic memoriæ divitiis utimur, in quibus parcitas negligitur: & profuſio ac prodigalitas præparationis potius prodeſt quam obeſt: loca enim omiſſa, vacantia, aut interrupta ad actionem & admirationem conciliandam, quibus memoria excellenter roboratur, pertinent; neque oportet deſvefcere à formandis & præmeditandis ſuperabundantibus locis, ſic enim exercitatio perficitur. Demus Exemplum ex Univerſitatum claſſibus petitum, ſeu de facultatibus, cujus imago æquivoce ſumpta eſt Facula, fietque diſtinctivum centrale præcognitum, in mari centrali annulo. Nunc circumponimus per formam ſecundam novem maria pro facultatibus particularibus magna.

Maria prima circumpoſita.	Facultates	Imagines.
Annulus mare centrale facula accenſa quæ eſt diſtinctiva pro candela	grammatica	In gramine docens Orbilius.
cygno	Poëſis	Apollo cum Poſaune.
triangulo	Rhetorica	Rete in roſtris explicat Cicero.
quadrante	Philoſophia	Ariadne filum evolvit.
manu	Matheſis	Archimedes in materazzo quieſcit.
ſtella	Medicina	Æſculapius mulcet caput Meduſæ.
ſecuri	Jus	Juſtinianus extendit cuſpidem ſceptri.
calice cornu	Theologia	Theatrum Dei adorati.

Maria circumpoſita magna candelam, cygnum, triangulum, tantiſper præterimus; lucidius autem in quadrante aliiſque ſpecimen applicationis exhibemus. Philoſophia quia dividitur, ideò ejus magno mari quadranti circumponimus novem maria minora ſecunda, diſtinctivum eſt imago Philoſophiæ.

Mare

Maria ſecunda circumpoſita.	Partes Philoſophiæ.	Imagines.
Mare quadrans primum. Filum Ariadnequod eſt diſtinctivum pro	candela, cygno	Logica	Locuſta ab Ariſtotele capta.
		Phyſica	Piſcis fumatus ab Antonio in Ægypto captus.
	triangulo, quadrante, manu, ſtella.	Ethica	Æthnam inſilit Empedocles.
		metaphyſica	Ad Metam currit Atalanta.
	ſecuri.		

In Philoſophicis partibus datis, ulterius non procedimus: quilibet enim ex ſequentibus colliget quomodo collocatio ſit inſtituenda, præterea authores nulla æquali methodo in Philoſophicis utuntur per partitiones & ſub partitiones librorum, hinc ii qui quendam Philoſophicum librum cupiunt collocare, ſeſe ejus ordini accommodabunt.

Pro Matheſi.

MAtheſis collocabatur in mari magno manu, & quia ejus diviſiones ſunt ampliſſimæ, eas enarrabimus & applicabimus per diſtinctiva aſſumpta & tranſumpta, forma accipitur quarta per circumpoſita 99. maria minora.

Maria minora circumpoſita.	Partes matheſeos.	Imagines.
Magnum mare primum, manus, materazzo, quod eſt diſtinctivũ aſſumptum pro	1. candela	Algebra	alga coronatur calculator.
	2. cygno	Geometria	compedes menſori ſolvuntur
	3. triãgulo	trigonometria	triangulus menſus per circinum.
	4. quadrãte	ſtereometria	ſtertens in baſi irregulari.
	5. manu	Arithmetica	aranea ſuper numeros.
	6. ſtella	logiſtica	loculi & abacus.
	7. ſecuri	canonica	canna in ſinu tangitur & ſecatur.
	8. calice	coſmographia	ad cotem globus politur.
	9. cornu	Aſtronomia ſphærica	Armilla.

Distinctivum transſumptum alga pro	10.annulo	Aſtronomia ſyſtematica	ſyſtema copernicanum
	11.candela	Aſtroſophia	cœlum quadratum.
	12.cygno	Chronologia	calendarium coronatum
	13.triangulo	Gnomonica	horologia ſolaria cum nola.
	14.quadrante	Geographia	mappa cum cochlea.
	15.manu	Hyrographia	mappa oceani & hydria
	16.ſtella	Anemologia	follis & Hahn.
	17.ſecuri	Geodæſia	pertica & coturnus.
	18.calice	Pyrotechnica	vitra cauſtica & pirum
	19.cornu	Pneumatica	Wetterglaß & Neptunus.
Distinctivum transſumptum compedes pro	20.annulo	hydraulica	fons ſaliens ex hydra ſeu ſerpente.
	21.candela	optica.	ocularia ex operculo.
	22.cygno	perſpectiva	tubus perſpicitur.
	23.triangulo	harmonica	Harffe & muſicus liber.
	24.quadrante	phoronomica	rotæ horologii & fornax.
	25.manu	ſtathica	ponderator ſtat.
	26.ſtella	mechanica	Rollen Winden medea.
	27.ſecuri	Architectura civilis	columna.
	28.calice	Architectura hortenſis	areæ horti.
	29.cornu	Architectura polemica	fortificatio.
Diſtinctivum tranſumptum circinus pro	30.annulo	Architectura claſſica	navis & pixis nautica.
	31.candela	tactica	exercitium aciei militaris.
	32.cygno	ſteganographia	ſcriptor auff dem ſteg ſemita.
	33.triangulo		

Si quis plura circa Matheſin diſponenda petat, cuncta ex ſimilibus ſequentibus poterit colligere.

Pro

Pro Medicina.

NOn quidem juſtum eſt ut in meſſem alienam falcem noſtram mittamus, quia vero generalitas rerum collocandarum me excuſat, hinc ſaltem pauca tangimus. Medicus pro ſingulis morbis parietem ſeu ejus centrum deputet, huic centro circumponat novem loca vel 99. loca formæ ſecundæ vel quartæ in his circumſtantibus locis hoſpitentur morbi ſigna, ex pulſu, colore, lingua, ſudore, anhelitu, urina, excrementis, dolore partium, aliaque indicia. Deinde ſuſpendat tapetes & in his locis remedia ex radicibus, herbis, floribus, fructibus, aromatibus, oleis, aquis, pulveribus, pilulis, electuariis, metallis, mineralibus, lapidibus, animalibus, diſponantur. Si verò Medicus libros collocare & retinere voluerit per partitiones, ſequetur modum quem monſtravimus & in ſequentibus monſtrabimus.

Pro Jurisprudentia.

EX maribus magnis ſecuris, pro jure deputata fuerat. Quia verò ſcripti juris diviſio tantum duplex eſt, hinc juxta formam ſecundam mari magno ſecuri circumponimus novem maria minora.

Maria minora.	Partes juris	Imagines.
Mare majus		
ſecuris diſtinctivum	candela	jus civile	civitatis curiæ liber affixus.
cuſpis ſceptri eſt pro	cygno	jus canonicum	Clericus librum ſupra canon oſtendit.
	triangulo		
	quadrante		
	manu		

Pro Jure Civili.

QUia jus civile partes plures habet, hinc in mari minore candela conſeminamus, inſulas ſaltem juxta formam ſecundam. Diſtinctivum inſularum eſt imago maris minoris candelæ.

Mare minus candela distinctivum est ad curiam liber pro	Insulæ maris minoris.	partes juris civilis.	Imagines.
	candela	institutiones	Imperator instrumento musico sonat.
	cygno	digesta	Imperator digitum gigantis ostendit.
	triangulo	codex	imperator ad cotem gladium acuit.
	quadrante	novellæ	Imperator novaculam libro imponit.
	manu stella securi.	feuda	Imperator feder cum casside donat flectenti.

Collocationem institutionum præterimus, quia non est difficilis, nam omissis castris, in insula fabricamus palatia juxta formam secundam, ut proœmium & 4. libros hospitemus. Cameræ singulæ serviunt singulis titulis, paragraphi ponuntur in locis parietum formæ primæ. Versiculi circumponuntur paragraphis per formam secundam.

Pro digestis hic modus servandus est ut pro 50. libris, impleamus insulam cygnum, meris castris. Distinctivum primum assumitur ex imagine insulæ pro novem primis libris: reliqua distinctiva erunt transumpta. Medio insulæ, ubi cygnus est, circumponimus 99. castra per formam quartam.

Insula

Insula cygnus digitus gigantis, distinctivum pro	Castra insulæ 2.	libri digestorũ.	Imagines faciendæ.
	candela	1. liber	& fit distinctivum transumptum pro 10. 11. 12. 13. 14. 15. &c.
	cygno	2. liber	& fit distinctivum transumptum pro 20. 21. 22. 23. 24. &c.
	triangulo	liber 3.	& fiet distinctivum pro 30. 31. 32. &c.
	quadrante	liber 4.	& fiet distinctivum pro 40. 41. 42. &c.
	manu	liber 5.	& fiet distinctivum pro 50.
	stella	liber 6.	
	securi	liber 7.	
	calice	liber 8.	
	cornu	liber 9.	

Reliqua loca & libri per se patent.

Tituli libri primi.

PRo titulis, circumpone medio castri candelæ, 99. palatia per formam quartam, distinctivum assumptum est imago libri primi seu castri candelæ, reliqua distinctiva sunt transumpta.

	palatia castri 1.	Tituli libri primi	Imagines faciendæ.
Castrum candela cujus imago fit distinctivum assumptum pro	candela	titulus 1.	& fit distinctivum transumptum pro 10. 11. 12. 13. 14. 15. &c
	cygno	titulus 2.	& fit distinctivum pro 20. 21. 22. 23. 24.
	triangulo	titulus 3.	
	quadrante	titulus 4.	
	manu	titulus 5.	
	stella	titulus. 6.	
	securi	titulus 7.	
	calice	titulus 8.	
	cornu	titulus 9.	

Reliqua loca & tituli per se sequuntur.

Leges

Leges tituli primi.

PRo legibus, concipiuntur longa serie in palatio candela, cameræ sufficientes. Distinctivum assumptum est imago palatii, reliqua distinctiva sunt transumpta.

	Cameræ Palatii 1.	Leges tituli 1.	Imagines faciendæ.
Palatium candela cujus imago fit distinctivum pro	candela	1. lex	--- & fit distinctivum transumptum pro 10. 11. 12. &c.
	cygno	2. lex	
	triangulo	3. lex	
	quadrante	4. lex	
	manu	5. lex	
	stella	6. lex	
	securi	7. lex	
	calice	8. lex	
	cornu	9. lex	

Reliqua loca & leges per se sequuntur.

Paragraphi legis primæ.

CUilibet paragrapho damus centrum parietis, & quia parietes non solent sufficere, hinc suspendimus tapetes quorum frons interna repræsentat Centra parietum reliquorum, distinctivum centrorum est imago cameræ assumpta, reliqua distinctiva transumuntur, forma est quarta.

	Centra parietum cameræ 1.	Paragraphi legis 1.	
Camera candela cujus imago fit distinctivum pro	Annulo	paragraphus 0.	seu principium.
	candela	paragraphus 1.	si plures essent §§. fieret distinctivum transumptum pro 10. 11. 12. 13.
	cygno	§. 2.	
	triangulo	§. 3.	
	quadrante	§. 4.	
	manu	§. 5.	
	stella	§. 6.	
	securi	§. 7.	
	calice	§. 8.	
	cornu	§. 9.	

Versiculi

Verſiculi Paragraphi primi.

PRo Verſiculis circumponimus centro parietum novem loca, & diſtinctivum aſſumptum eſt imago Paragraphi forma eſt ſecunda, & quandoque quarta.

Animadverte hic quod imago loco centrali approximata quandoque fiat bis diſtinguens, ſemel aſſumpte pro circumſtantibus decem locis, ſemel tranſumpte pro locis compoſitis, ſed aſſumpta imago eſt principalis & prævalet, tranſumpta debet paululum mutari ne eadem ſit cum aſſumpta, & hoc ubique obſervabis exemplum tenemus in imagine libri primi digeſtorum; quæ ſi fiat tranſumpte diſtinctiva, tranſumitur pro libro 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. Si verò aſſumpte diſtinctiva fiat aſſumitur pro titulo 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Longè verò naturalius eſt, ut univerſale ſuis inferioribus communicetur, quam ut pars communicetur ſuis compartibus ex figmento.

Pro Jure Canonico.

MAre circumpoſitum minus cygnus deputatur pro jure canonico ejus partes ſunt decretum, decretales, &c. hinc centrali imagini cygno circumponimus novem inſulas ex forma ſecunda.

		Partes Juris Canonici.	Imagines faciendæ.
	Inſulæ maris cygni.		
Mare cygnus liber & canon ſunt diſtinctiva pro	candela	decretum	
	cygno	decretales	
	triangulo	ſextus	
	quadrante	clementinæ	
	manu	extravagantes	
	ſtella	inſtitutiones	
	ſecuri	ſeptimus	
	calice		
	ornu		

Decretum.

PRo tribus Decreti partibus, centro insulæ candelæ circumponimus castra formæ secundæ, distinctivum assumptum est imago decreti.

Primæ partis distinctiones.

PRima pars continet meras distinctiones hinc castri candelæ centro circumponimus ad progressionem formæ quartæ per primam palatia, distinctivum assumptum est imago castri, transumpta sunt imagines palatiorum.

Canones distinctionis primæ.

CUilibet Canoni datur una camera, distinctivum est imago palatii.

Paragraphi Canonum.

IN centro parietum est sedes paragraphorum, distinctivum assumitur ex imagine cameræ.

Versiculi Paragraphorum.

VErsiculorum sedes est in circumpositis centro parietum locis, distinctivum assumptum est imago centri.

Decreti 2. Pars, seu Causæ.

SEcunda Pars continet causas, quæstiones aliquando distinctiones, canones, paragraphos, versiculos. In castro cygno circumponuntur loca formæ quartæ nempe palatia pro causis. Distinctivum palatiorum assumitur ex imagine secundæ partis. Transumpta distinctiva petuntur ex ipsis causarum imaginibus.

Quæstio-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [78] - 66

Quæstiones Cauſarum.

SEdes quæſtionum circumponuntur palatiis primis per palatia circumſtantia minora per formam ſecundam aut quartam, diſtinctiva ex prioribus ſunt nota.

Si diſtinctiones quæſtionum adſint.

COntignationes pro his diſtinctionibus in palatiis minoribus attollimus, diſtinctiva ſunt nota.

Canones habent cameras, paragraphi parietum centra, Verſiculi habent loca centro circumpoſita diſtinctiva aſſumpta & tranſumpta ſunt nota.

Decreti partem tertiam collocandam omittimus.

Decretales.

PRo quinque libris decretalium circumponimus centro inſulæ cygni caſtra formæ ſecundæ, diſtinctivum aſſumptum eſt imago inſulæ: tranſumptum imago caſtrorum.

Libri primi tituli.

TItuli in palatiis medio caſtri candelæ circumponuntur per formam 2. vel quartam, diſtinctivum aſſumptum eſt imago libri primi ſeu caſtri primi. Tranſumptum eſt titulorum imago.

Capitula primi tituli.

SEdes capitulorum eſt camera palatii, diſtinctivum eſt imago palatii aſſumpta, tranſumpta vero imago ipſorum capitulorum.
Paragraphi habent centra parietum ut ſupra.

Pro Theologia.

QUia Theologia, præter S. Scripturæ textum, nullum adeo authenticum ſcriptum præ oculis gerit, nam Sacra Concilia partim

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [79] - 67

ad Jus Canonicum partim, ad Theologiam tendunt, Authores etiam varii, variis doctrinæ ſuæ partitionibus utuntur; hinc S. Scripturæ & Concilii Tridentini collocatio paucis attingitur. Oportet autem bene attendere, ne in collocationibus librorum à ſummo incipiamus, ſed potius à Verſiculis, ad paragraphos, ab his ad canones vel capita, ab his, ad alias diviſiones ſurgentes aſcendamus, ita enim partitio. Certum habet initium infimum in locis, & loca convenienter conſtrui poſſunt ne abundent aut hiatum patiantur, & commenſuratio orietur libro & locis adæquata. Ex hac obſervatione tandem à Summo inchoamus.

Sacra Scriptura.

THeologia ſedem habuit in mari magno calice, & continet S. Scripturam, S. Concilia, & Theologos varios, ideo mari calici circumponimus maria minora per formam ſecundam vel quartam. Diſtinctiva ex dictis ſuperioribus non poſſunt eſſe ignota.

Mare minus candela eſt ſedes S. Scripturæ, quæ dividitur in vetus & novum Teſtamentum, hinc circumponimus centro maris candelæ inſulas ex forma ſecunda.

Vetus Teſtamentum dividitur in libros ante Prophetas, & ipſos Prophetas, licet tota Scriptura ſit prophetica. Hinc inſulæ candelæ medio circumponimus caſtra formæ ſecundæ.

Libri ante Prophetas ſunt fere 14. hinc caſtri candelæ medio circumponimus palatia formæ quartæ.

Quidam libri habent in ſe ſublibros ut Moyſis liber habet quinque, Regum liber habet quatuor. Paralippomenon duos.

Eſdras duos, Salomon quaſi quatuor; hinc palatio magno circumponimus palatia minora formæ ſecundæ pro his ſublibris, vel ſi id diſpliceat, fac in palatio magno tot contignationes quot ſunt neceſſariæ.

Quilibet liber dividitur in capita, ideo ſingula capita ſingulis cameris attribuimus in palatio videlicet imago ponatur ſupra januam vel in janua camerarum.

Singula capita dividuntur in meros verſiculos, licet olim fuerint diviſa in paragraphos, verſiculos ponimus in parietibus per formam primam, & ſuſpendimus tapetes, ſi plures verſiculi quam 39 fuerint, aut utimur forma tertia in parietibus; diſtinctiva non nominavi-

minavimus, nam assumpte & transumpte ex priori doctrina intelligi possunt.

Concilium Tridentinum.

DIximus quod in mari minore cygno sacra concilia videlicet omnia debeant collocari, quia vero conciliorum magna est multitudo, hinc per formam quartam, centro maris cygni circumponimus insulas, & exercitii gratia Concilium Tridentinum statuimus in insula candela, licet alias ordo hujus Concilii sit longe posterior.

Concilium Tridentinum dividitur in sessiones 25. hinc circumponimus medio insulæ candelæ castra formæ quartæ.

Sessiones dividuntur in decreta hinc medio castrorum ubi necesse est, circumponimus palatia formæ quartæ nam saltem ultima sessio formam secundam superat.

Quodlibet decretum dividitur vel in capita, vel in canones pro ratione materiæ tractandæ, cuilibet capiti, vel canoni damus unam cameram palatii.

Si caput vel canon habeat paragraphos, eos centris parietum tradimus, suspendimusque tapetes si opus sit.

Si paragraphi habeant versiculos, hos circumponimus circa centrum parietum formæ secundæ. Nihil de distinctivis diximus, credimus enim ex prioribus cuncta assumpte & transumpte adaptari posse methodus enim ubique similis manet.

Index imaginum impropriarum ingeniosarum. 24.

Intellectus quidem, non vero Memoria, sequentibus imaginibus afficitur, si tamen familiares fiant, per frequentem exercitationem, vix meliores & gratiores erunt reperibiles quia & intellectum & Memoriam cibabunt.

Abstinentia. Camelus duodecim diebus sine potu vivens.

Aditus. bivii una via monstrata.

Adversitas - - cornua hirci.

Adulatio. syrenes. fistula ad aucupium præparata, vulpis cauda.

Æqualitas. hirundo pullos æqualiter cibans.
Ætas. gradus ſurſum deorſum.
Æternitas. antrum ignotum. ſenex volans cum annulo.
Affectus pedes excalceati. equus indomitus in præceps ruens.
Amicitia. canis. Sal hædera cum vite hirundo. columbæ duæ. duo corpora concreta. ſolſequium. grex ovium. canes venatici.
Ambitio. thronus. corona. ſtatua. triumphus, trophæa. amphitheatrum.
Amor. fax. parvuli cum ſagittis, laqueus, alis facibus.
Animus. equus ferox. Vas obturatum.
Anima. ciconia apices inhabitans. accipiter aquila recta ſurſum volans.
Annus. ſerpens caudam ſibi admordens. cornua cervi annuatim abjecta cum alis.
Anni partes. Ver. infans æſtas. nuda ob calorem. ſertum ex ſpicis autumnus ſordidus ex uvis calcatis vel bachus. hyems Capilli griſei vel Vulcanus.
Appendix. pix.
Aperire. mantica aperta.
Arbitrari. metiri.
Ars. vectis, arbor in Vaſe plantata.
Aſtrologia. maculoſa hinnuli pellis.
Avaritia. ſiniſtra contracta. formica.
Auditus. lepus auritus. talpa. ſiſtrum.
Aurora. aureum ſolium roſis plenum.
Auxilium. pulli hirundinis in nido ore aperto hiantes.
Bellum-aries militaris, ſagum. haſta cauda equina apud Turcas, & Polonos.
Bonus vir. taurus dextro genu ligatus.
Bonum. roſa inter ſpinas.
Bonum malum tritones.
Calamitas. fulmen. pede conculcatus.
Calumnia. baſiliſcus viſu non morſu auris amputata. cœpa plurium pellium.
Caſtigatio. Virga.
Caſtitas. turtur. apis. zona.
Charitas. par columbarum.
Cœna, candelæ accenſio.
Cogitatio. formica.
Cognitio. Mercurius.
Concordia. lyra. mutuus amplexus cornicis.
Confirmare. ſigillum.
Conjecturare. odoratus canis.
Conſcientia. clibanus ardens.
Conſiderare. metiri circino.
Conſilium. ſigillum cor repræſentans pluto rapiens proſerpinam.
Conſtantia. Salamandra in igne. acus magnetica. baſis quadrata quercus. palma.
Conſuetudo. caprimulgus.
Contemplatio. ſine ore, odore vivens.

Con-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 42;Leibn. Marg. 42, Stück 11, [82] - 70

Contemptus opum. pes ſuper theſaurum.
Contentus. Diogenes in dolio.
Continentia frenum.
Convitium. aquila cui inſultat cornix.
Cras. corvus.
Craſſus. aſinus in ſtadio equino.
Crudelitas. gladius. ſanguis.
Cura. nux dura. veſpertilio caudata ſcrupulus.
Cuſtos. vigil. leo. canis. anſer.
Curioſitas. auris.
Damnum. grando. fulmen.
Demonſtrare. index.
